HYGIEINA,

id est N° 14 ~~20~~ 24

DE SANITATE TUENDA MEDICINAE PARS PRIMA, AUTHORE TIMOTHEO BRIGHTO CANTABRIGIENSI, MEDICINÆ DOCTORE.

Ἄσκησις ὑγίειης ἀκορίη τροφῆς ἀόκνιη πόνων.
Sanitatis ſtudium, &c.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI,
Excudebat H. Middletonus,
impenſis. T. M.

11.01

AMPLISSIMO ET HONORATISSIMO DOMINO, DOMINO GULIELMO CECILIO, EQUITI AURATO, BARONI BURGHLIENSI, SUMMO Angliæ quæstori, & Sacri Regii Senatus consiliario, atque Cantabrigiensis Academiæ Cancellario.

ETERE more, Honoratissime Domine, qui præceptoris viva voce habebatur, artes bonas docendi, discendique amisso, Sapientiæ imprimis jactura maxima, temporis nonnulla, sumptus aliqua infœlix subrepsit, qui libris, atq; doctorum monimentis legendis continetur. Hinc scholis Philosophiæ qui hodie præficiuntur maximam partem librorum interpretes facti sunt: haud sapientiæ magistri. Qui verò auscultatione qualicunque illa spreta, ex doctorum monimentis seipsos sibi statuunt doctores: Certè multæ lectionis homines evadunt, haud multæ scientiæ. Ex quo quum constans vix ulla doctrina tradatur, tot oriuntur

untur eadem de re discrepantes hominum sententiæ, cùm quisque quod apud magni nominis autorem legerit, tueri contendat, scire demum quo fundamento rationis consistat, vel qua naturæ luce collocetur perpendere, negligat ferè unusquisque: hinc nata tanta scriptorum ambitio, tanta scribendi luxuria, tanta sapientum in speciem multitudo, tanta verè sapientum orbitas, atque solitudo. Cùm rectum, & verum existat unum, a quo deflexum ubi sit, vel millefariam liceat errare. Sed quid hæc ad amplitudinem tuam, vel nomini tuo inscriptam hygieinam meam? permultum sanè in utramque partem. Nam & tu is es quem sapientia, rerúmque gestarum prudentia, summo honoris loco collocavit. Es Cantabrigiensis Academiæ patronus, es Cancellarius, denique is es qui facilis, & attentus iustam qualemcunque literarum nomine susceptam accipies querelam. Et ego is sum cujus studia ita comparata sunt, ut rerum natura ob oculos posita, & superstitione ex autoritate scriptorum nata, excussa, quod in medicina verum, quodq; germanum, & breviter tradendum, & dilucidè explicandū mihi ipsi proponā. Accipe ergo Honoratissime Ceceli, & consilij, & facti mei rationem paulo altius repetitam. Omnis recta docendi ratio duobus hisce, brevitate, perspicuitateque continetur. Cùm tota rei doctrina ita traditur, ut nec heterogeneis impura sit, nec

tautologiis molesta, ea demum brevis rectè dicetur: quæ autem à summis orta, per intermedia, ad ima fluens, methodo, proponitur, omnem perspicuitatis evidentiam continebit, qua & facilius concipitur, & altius insidet memoriæ. Hac docendi ratione caruit jam diu medicina, cùm autorum nemo his limitibus cingi se pateretur. quin, modò physicum agere, modò palæstritam, modò coquum, modò astronomum, denique nihil non esse, medicorum habitū sit munus, & officium. Videlicet artes varias ut usu miscētes; quod omnino valetudinis curatori foret necessum, ita parum admodum spectarunt præcepta finibus coërcenda suis, nec ex æquo, & jure, alteram alterius possessiones fas esse invadere. atque hoc primum malè prolixam habet medicinam. Ad hæc accedit, quod potius librorum molem quàm rei argumentum spectantes, Asiatica redundantia rem medicam voluminū multitudine auctiorem reddiderunt, præceptis autem, jejuni, atque aridi ipsi, qualem & quantam à patribus acceperunt, talem atque tantam lento incremento & posteris tradendam constituerunt. Qui autem aliorum redundantiam amputare studuerunt, Verborum non argumenti brevitatem sequuti sunt. inde nihilominus quam illi ipsi quorū castigatores haberi volunt, fiunt alienis, & impropriis redundantes, nec non idem sæpius locis variis contra brevitatis leges, docere ex diligentis

magiſtri officio, æquè ſtatuerunt. Itaque primus hic labor mihi ſuſcipitur, & heterogeneorum expurgandorum, & quæ multis cognatione communia ſunt, omnibus ſemel, non ſeorſum ſingulis tradendorum. ſemper inſtituti memor, nec facilè lectorem tautologiis obtundens. magna ſanè virtus. dummodo eam aſſequamur. ſequimur profectò, atque dum vita ſuppetit, ſtudioſe ſequemur. Atque hæc prima virtus artis rectè tradendæ exiſtit. hîc noſtri prima laboris ſeges. Altera perſpicuitatis eſt, quę methodo ab univerſalibus ad ſpecialia, id eſt, a cauſis ad effecta tranſitionum gradibus ſenſim deſcendit, cuius methodi fructum cum animo perpendo, eademque alias ferè iam omnes artes dotatas conſidero, ut ita excultas prædico beatas, ſic ſubit dolor vicis noſtræ. quibus tandiu inculta jacuit medicina. atque hæc ſecunda laboris noſtri materies. Videlicet ut præcepta vera, propriáque pro lucis ſplendore quo prima poſterioribus collucent, primam ſedem obtineant, reliqua, prout aliorum luce illuſtrari opus habent, propria ſerie deinde conſequantur, dum in omnium poſtremo conſiſtimus quod reliquorum lumen poſtulat, ipſum per ſe perobſcurum, & omnem mentis aciem fugiens. Habes conſilii mei rationem, & metam ſtudiorum, quam omnes mecū ſpectare debent medicinæ, atq; reliquarum diſciplinarum doctores: eam qui attigerit, nihil ei deſit

quod

quod ad breviter facileq; docendi, laudem pertineat: qui proximè attigerit, hic secundus est quo loco in instituto tam præclaro, vel etiam infra secundos consistere pulchrum & honestũ habendum. Secundum hasce leges universum sapientiæ studium si traderetur, (ita autem tradi deberet) & plura & facilius, & certius quàm ut nunc res philosophica habet disceremus. Meæ tenuitatis, probè conscius sum, nec non memor dicti illius Magni Galeni, se maxime quemque vereri oportere. quid verò præsiterim reipsa testari malo, quàm verbis meis prædicari. Animum quidem certè adhibui, & votum maximum, facultate autem, si viris & usu, & ætate, & studio, & otio majore affluentibus minus satisfaciam, nec mirum, qui nec ipse mihi satisfaciam. Quid tum? etiam dum tacendum foret? Nequaquam. Dies multa docet mortalibus, & dies diem. Hanc diecularum mearum *rusticam* ingenuè offero, fructum laborum. Daturus & politiora hæc & majora alia, ubi ætas, otium, studium, usus uberiore nos proventu auxerint. Cui namque ita vita instituitur, ut aliis prodesse velit, id maturimè fieri, & vitę brevitas, atque inconstantia, & rei usus imprimis postulant. Operis difficultatem norit is, qui in hoc genere aliquando fecerit periculum: otiosi homines & ignavi, nec possũt, nec velint rectè judicare. Hìc te unũ, Honoratissime Cecili & instituti mei, & operis testem, ac arbitrum

poſco. qui & ex ingenii acie qua es acerrima, de inſtituto potes ſtatuere: & ex uſu rerumq; experientia, corpore jam ſenili ac valetudinario, qua ſumma prudentia es, de re ipſa potes decernere. Totius medicinæ corpus mihi efformandum ad illam brevitatis, & perſpicuitatis ideam propoſui πρότυπον effinxi univerſum, ad quod auguſtius opus aliquando dedolare contendemus. Hujus caput, & pectus tibi, academici otii mei primitias offero, accipe modò precor vultu ſereno, agnoſce animum, & amoris, & obſervantiæ teſtandæ cupidiſſimum. Cantabrigienſis ſum, & genere, & vitæ inſtituto. Hîc primum datum & ſolis luce frui, & quod longè majus eſt religione pura, & liberalium ſcientiarum præceptis erudiri. Denique Cantabrigiæ & Hygieinam hanc, & huic congenerem therapeuticam adhuc preſſam, edendam tempore cõmentati ſumus. quo ergo piaculo, iſto te taceam monimento ampliſſime Cancellarie? Eſt iſtud profectò, Academiæ priuilegia tueri, immunitates augere, literatis favere, quod tu facis, a Cantabrigienſibus academicis, inter quos ego profiteor nomen meum, amorem, cultus officium, fauſta vota, omnia denique quantacunque illa ſint, jure tuo vendicare. Reſpice ergo nos, & munuſculum levidenſe, nec ex munere animum, ſed ex animo munus metiare. hanc tuæ amplitudini ſtatuo columnam, inſcriptam G. C. literarum patrono, quandiu libri

mei

mei genius in choro muſarum ſedes egerit, tandiu duraturam. Dabo autem quam meritus es ſi vivo ex materia nobiliore ac opere magis phidiano, & praxiteleo. interea dum digniora tibi paramus, hæc boni conſule, & hujuſce æternę laudis cumulum ex Muſarum amore, atque earundem ipſarum hujuſce templi ſacroſancti cultu perge tibii quam uberimum facere. Miſericors Deus amplitudinem tuam cum Eccleſiæ ipſius, tum huic Reip. & in ea Cantabrigienſibus tuis quàm diutiſſimè ſervet incolumem.

Amplitudinis tuæ
obſervantiſſimus

TIMOTHEVS BRIGHTVS.

Ad Studiosum Lectorem.

NEmo omnium rectè de re literaria iudicātium est, studiose Lector, cui non magni illius P. Rami & vita glorioſa fuit, & Philoſophandi inſtitutum fructuoſum. Cades nefanda, & poſt homines natos crudelitate, ac ſcelere memorabilis, qua is vnà cum infinitis aliis, & piis & doctis viris extinctus eſt, diris omnibus execranda. Huius ſūmi viri autoritate, & exemplo, iam tum cùm primum medicos ſequutus ſum, ad meam vtilitatem gneſia medicinæ præcepta ab alienis quantū ingenio potui, ſegregavi. Quæq; pluribus communia, & ſæpius repetita percepi, ad vnum caput retuli, tradendáq; ſemel, ne latius manarent limitibus cinxi, ordineq; digeſſi. atque hoc quo meis ipſius tantùm ſtudiis, viam ſternerem & magis expeditam darem: Et ut legendo, auſcultando, meditando judicio crevi, definire atque dividere aliter paulo quàm vel legendo, vel auſcultando edoctus ſum, tentani. Sed hæc parcè, atque timidè, cùm hæc duo, rectè definire ac dividere humanæ mētis vim maximam contineant, & mille ingenii contentiones poſtulent. Aperio ſodalibus meis ſtudiorum rationem, probant, ſuadent pergere, fructum ſæpe oſtentantes, & honeſtum animi laborem. Ego ſponte mea (quanquam id lentè ſanè) incedens, horum

rum impulsibus alacrius occurro expetito labori. Et quantum ingenio, & judicio, & otio possum, tantum huic operi imprimis dandum existimo, & universa medicinæ corpus efformandum mihi propono: non eò certè consilio unquam ut theatro spectandum proponeretur, sed animi tantùm causa, quò & cupiditati meæ satisfacerem, & autoribus illis meis obtemperarem. Tandem adumbro, ut caput, & truncum, & artus liceat internoscere. Apud me condo rudditatis conscientia pudibundus, celari res nequit. Petunt a me, atque adeo precibus contendunt optimæ spei adolescentes Cantabrigienses mei copiam mearum observatiuncularum ipsis facerē, adeòque eas qualescunque viva voce privatim interpretarer. Ego, promptior fortasse quàm me longè impærem oneri deceret libenter annuo, sperans umbratilem hanc professionem, & acuendi studii rationem mihi ipsi fore, & alius, quibus ingenuè labores meos communicavi, rei gerendæ materiam daturam. Adsunt: auscultant: dubitant: & ut Philosophos decet, libere quærunt: ac demum opera mutua collata, interdum nosmet expedimus hærentes, & difficultates superamus. Hoc consilium instituti nostri, studiose lector, hæc progressus ratio. Reliquum est ut & causam additionis narrem, & quid ipse ad medicinā methodo explicandam præter cætera: contulerim, vel certè contulisse studuerim, paucis exponā. Aeditionis itáque causam sic habeto: Cùm sentirem auditores meos scribendi tædio laborare, atque exemplaria quàm plurima scripto-

rum

rum vitio depravari, cæpi deliberare, quo pacto, & hos scribendi onere liberarem, & integritati operis mei imprimis consulerem, quod ratione nulla commodiore quàm typographia, fieri potuisse percepi. Itaque scriptis illis meis diligentius paulò recognitis, primam laboris partem, prælo tradendam curavi. Tantùm primam, quòd cùm per humani ingenii imbecillitatem in re omnium difficillima, aggressu primo, soli, nec pro rei magnitudine satis exercitato, errandi ferè necessitas incumberet, in eo malui periculum facere in quo errare foret levius, & me in parte potius operis quàm in ipso toto censoriis hominum iudiciis exponere. Qui profectò censores si rei difficultatem perpenderint, vel ipsi in arenam hanc aliquando descenderint, erunt spero æquiores; sin verò rei perfectæ, atq; muneris absolutæ, fructum teneant animis proponderatum, tanti operis quantumvis inceptori indulgebunt faciles, atq; prompti adjutabunt consiliis, ut pluribus conantibus aliquid tandem, etsi non profectum, saltem quod a perfecto haud vehementer abhorreat, Medicinæ studiosorum, manibus teratur. atque æstimatores nostri, si loco alio nullo, patientur, fiat hæc saltem animi nostri significatio quædam, & tanquam monumentũ viris & doctioribus & otio maiore Academiarum professoribus imprimis (qui Regum stipendio vigilant) abundantibus. quos ego per omnes musas, & Asclepiadas patres obtestor, nunquam cõmittant diutius, cùm reliquæ disciplinæ, & brevitatis & perspicuitatis luminibus excellant, hæc una tam

præ-

præclarâ, tam necessaria, atq; adeò tam professoribus ipsis quæstuosa, heterogenis impura sit, tautologiis molesta, tota denique vix ars aliqua, sed ignobilis quædam empeiria habeatur. Ego, si præpropere probro diluendo me cõtulerim, dabitur justo dolori meo. Dedi quidem certè operam (dico de hygieina, & dabitur tempus sociam Therapeuticam exponendi) ut de temperamentis, de partium usu, ac fabrica, de alimentis Physica, de generibus exercitationum gymnastica & palæstrica, de alimentorum præparatione & apparatu, culinaria, heterogenea cùm sint singula, cedant germanis hygieinæ præceptis, quæ indicata & concluſa, definitionibus, partitionibus, distributionibus, affectionibus communibus & propriis comprehensa, methodo illa artium tradendarum unica ab universis ad singula disponere studuimus. Quo labore nostro multa reliquimus fateor cogitationibus posterioribus, quibus primo quoquo otio, & uberiora hæc, & distinctiora dabimus, interea præsentibus fruere, & inceptis fave.

HYGIEINA: ID EST, DE SANITATE TVENDA, MEDICINAE PARS PRIMA.

MEdicina est ars curandi valetudinem corporis humani.

Medicinæ partes sunt duæ: ὑγιεινὴ, & θεραπευτικὴ.

ὑγιεινὴ, est pars medicinæ, de sanitate tuenda.

Sanitas est corporis κατὰ φύσιν actionibus salubriter obeundis apta.

Sanitatis membra sunt duo: Eucrasia: & salubris Diaplasis.

Eucrasia est pars sanitatis, qua ad crasis proprias actiones salubriter præstandas, primis qualitatibus partes temperantur.

Eucrasię membra sunt duo: Elementarium qualitatum mistio salubris, & Calidi innati certa proportio.

Elementarium qualitatum mistio salubris est, qua eis ipsis partes salubriter temperantur. ut, cutis temperata: ab hac ad calidum flectẽtes sequenti serie:

Renes. Lien. Jecur. Caro simplex. Pulmo. Cor.

Ad Frigidum.

Cerebrum. Spinæ medulla. Nervi tantùm

 senti-

ſentientes: Nervi motionis. Vena. Arteria. Mẽbrana. Tendo. Ligamentum. Chondroſyndeſmus. Cartilago. Os.

Ad Humidum.

Nervi ſenſus. Cor. Renes. Jecur. Lien. Caro ſimplex, Pulmo. Spinæ medulla. Cerebrum.

Ad Siccum.

Nervi motionis. Vena. Arteria. Membranæ. Tendo. Ligamentum. Chondroſyndeſmus. Cartilago. Os.

Hæc de Craſis parte elementari; ſequitur innati calidi proportio.

Partes, quò publicæ magis ſunt aut his ortu vicinæ, eo calore nativo uberius perfundũtur. ut

Claſſe prima: Cor, Arteria. Pulmo.

Secunda: Jecur. Venæ. Ventriculus. Inteſtina. Veſica fellis. Lien. Renes. Teſticuli. Uterus. Veſica, urinæ receptaculum.

Tertia, & ultima: Cerebrum. Nervi ſenſus. Spinæ medulla. Nervi motionis. Membranæ omnes. Tendo. Chondroſyndeſmus. Cartilago. Os.

Hæc de Eucraſia; ſequitur Diaplaſis ſalubris.

Diaplaſis ſalubris, eſt pars ſanitatis, qua corporis partes in organa, actionibus idonea finguntur.

Huius membra ſunt duo: partium ſymmetria, atque harum conſtructio.

Partium ſymmetria eſt, qua altera, ad alterã exiſtit analoga.

Sym-

Symmetriæ partes ſunt duæ: Partium quantitas analoga, & earum figuratio.

Quantitas eſt, qua quantitate ſunt analogæ. eſtq; vel ſecundum magnitudinem, vel ſecundum numerum.

Secundum magnitudinem, qua nec maiores, nec minores iuſto ſunt.

Secundum numerum: qua nec plures nec iuſto pauciores.

Figuratio analoga eſt, ſecundum quam, figuram naturalem quęlibet ſortita eſt.

Eſtq; figurationis analogia, vel ſecundum organorũ cavitatem, vel ſecundum ſoliditatẽ.

In Cavis requiritur eorum ipſorum libertas, & amplitudo.

In ſolidis, aſperitas, levitas, vel aliter pro naturæ uſu figuratio.

Hæc de ſymmetria; ſequitur conſtructio.

Conſtructio eſt pars Diaplaſis, qua organa inter ſe ſalubriter aptantur.

Conſtructio continetur partium ſitu, atque inter ſe nexu ſalubri.

Situs eſt, quo ſuum quælibet locum obtineat.

Nexus eſt, quo concinnè partes copulantur.

Hæc de ſanitatis mẽbris, cujus omnis Diaplaſis ratio, melius ex anatomia, quàm præceptis intelligitur.

Signa ſanitatis ſunt actionum operumque ſalubritas: quæ & tẽpeſtiva ſint, at porrò quantitate, qualitateque moderata.

Sanitatis tutela continetur diæta.

Diæta, eſt ratio ſalubriter utendi rebus ad vitam neceſſarijs. Eę autem generibus diſtinctæ tales ſunt:

Atque res ad vitam neceſſarię ita habent.

Diætæ partes ſunt duæ; diatereticа,& Prophylactica.

Diatereticа eſt pars diætę,qua ſanitas firmatur.

Diatereticа eſt duplex: Communis, Specialis.

Cōmunis eſt,quæ omniū ſanitatis ſpecierū eſt.

Diatereticę cōmunis primū caput eſt,geſta fomētis,pro corporis viribus quātitate exæquare, qualitate corporis craſi reſpondere.Ergo primū geſtorū Diatereticа cōmunis;mox fomentorū.

Excretiones publicæ primo irritamento,excernātur:& a ſomno nocturno,experrecto,ſine mora expediantur.

Privatę, ut moleſta ſunt,egerant excremēta pivata.hîc cerebri anterioris, naribus emunctis, etiam interdum ubi nil movet, excremēta prolicienda.

Ablutiones, aqua dulci,temperata calore fiant,pro ſordium ratione, ſi univerſales futuræ ſint. ſin particulares videlicet oris, ac vultus, frigida curentur, atque os, ſenſoriáq; alvo ac veſica prius ſolutis, proluantur, cura ne quid in auris meatū inſtillet adhibita, ac demum dētes tergendi.

Exercitationes, & corporis & animi omnis motus vehementior,ſuſcipiantur lentè primū, tum invaleſcant. alvi, atq; veſicę excrementis prius depoſitis,mane, ventre iejuno, capite retroſum bene pexo.

Sin exercitatio ea corporis ſit,ante ipſā leniter corpus fricandum,& ungendū oleo dulci; vel ambulatiuncula pręparandū.Ea autēuniverſalis

eſto, cum vocis contentione: ac pariter animum oblectet: quo in genere parvæ pilæ ludus excellit. Ceſſatio eſto ante defatigationem: adhuc tumeſcente corpore, colore florente, concinnè motus edente, & cum vapore calido ſudante.

Poſt exercitationem, vel molliter inambulandum, ſpiritu contento, vel apotherapeia utendum.

Eſto autem exercitatio corporis omnis ſi ſub dio ſit (quod ſaluberrimum,) in umbra parietis, aut viridarij, ſin ſub tecto, eſto illud tectum longum 40 pedes, latum 18. altum 22.

Quibus vita laborioſa agitur, his labor exercitationis vicem ſupplebit.

Poſt cibum, quieſcendum horam unam, tum mollibus paſſibus incedendum, ut cibus deſcendat.

Ante cœnam, ſatis erit vel celeriter deambulare.

Animi ſtudium ſi vehementis ſit contentionis, a ſolis ortu haud ultra horam ante prandium duret. Manſuetioribus autem ſtudijs hora tantùm una pomeridiana impendenda, detumeſcente iam ventriculo.

Perturbationes ne vehementer admodum corpus agitent curandum.

Hactenus diatereſis motus ſui ipſius tantum gratia: ſequitur qui prolis item.

Con-

Concubitus esto nocturnus; corpore exercitato die hesterno, & moderato nutrimento, eoque consueto refecto: a somno primo, concoctione perfecta.

Suscipiatur autem (maximè maribus) non ante expletum tertium septennium.

Mulieribus esto a purgatione menstrua quâ mox finita.

Concubitum somnus excipiat levis.

Menstrua purgatio mulieribus a 14. ad 45. plus, minus, iuvenibus Luna nova, proiectionibus plena, pro mulieris natura, satis copiosè profluat, pregnantibus, & lactantibus exceptis.

Concepisse mulierem, ac iam utero gestare hisce signis deprehendetur: Post concubitum, viri semen non effudit. Et in ipso coitu horrorem quendam percepit: & moderato dolore secundum pudendum, ac umbilicum vexatur. Pudendi sinus, atque os, aridiora sunt: uteri tamen osculo, nec duro, nec inflammato; sed ipsum bene occlusum, & aliquantulum sursum progressum. Tandem veneris appetentia languet, nec menses consueto tempore apparent: venæ pectoris virent, mammæ intumescunt, cauitates oculorum subpallidæ fiunt, colli pars anterior, calidior; cervix frigidior apparet. Et circa secundum mensem, ferè salsa, aut acida, appetunt. Si urina subalbida, clara, nubiloso rore supernatante, ac stellati lapi-

dis colorem præ ſe ferente, atomiſque in ea ipſa aſcendentibus, deſcendentibusque fuerit, argumentum initij conceptionis eſt, poſt, a conceptu primo menſe, ima ſua parte, candicantia corpuſcula ad farinę craſſioris ſpeciem ſubſident, quæ commota, carminati xyli, cotonive effigiem referunt; atque tempore adhuc accedente, flava, deinde rubra, puniceáve, poſtremò atra (nubecula parte ſuperna rubore ſuffuſa) evadit.

Ubi hæc ſigna apparuerint, vel horum aliqua prægnans cenſenda, atque tum omnem motum vehementem fugiat; nec mammas conſtringat, nec nimis arctè cingatur. Atq; hoc toto geſtationis tempore.

Menſe octavo, tranquilla ſit quoad fieri poteſt; & cibos accipiat ſolito parcius, & (ſi cum pondere pendet) ventrem faſcijs diligenter ſuſpendat conſtrictum: ceroto etiam ex oleo viridi, vel myrtino, vel alio aſtringente aliquo, cutem ventris oblinat: ut ſolidior evadat, nec in partu conatibus rumpatur: præterea ſanguinalem herbam decoctam interdum bibat.

Menſe nono, inferiores partes latius obvolvat: ſuperiores perſtringat: loci item unguentis & mucilaginibus mollientibus laxandi: & balneo frequenti utendum. Diebus autē partui propinquis, viris abſtineant prægnantes.

Ubi

Ubi verò ipſum pariendi tempus inſtat, atque parturire cęperit, ſuper lectum iaciatur, ſtrato duro, pedibus duplicatis, ac femoribus expanſis. Atque tum digito peruncto, orificium matricis leniter, ac ſine quaſſatione aperiatur. cumque ad ovi magnitudinem corium percipitur, tangenti obſtetrici; ad ſellam levetur. Atque ſi laſſa, & imbecillis fuerit, in lecto pariat; aliâs, vel in ſella, vel in mulieris femoribus parere poterit.

Toto partus tempore, calidum aërem ſuſtineat; & ſemper obſtetricem adiuvet conatibus.

Si in lecto pariat, habeat obſtetrix ſedile modicè inferius, ut ibi ſedens, facilè manus immittere poſſit.

Sin autem ſedens in ſella paritura ſit, obſtetrix ſella humiliore ſedeat, ut ex ſuperioribus partibus infantem poſſit adducere: pedibus interea expanſis.

Ne pariens præ verecundia ſe concludat, obſtetrix faciem auerſam habeat.

Parturienti autem omnia ligamenta auferantur. obſtetrix digito ſiniſtro oleo calido peruncto orificium matricis circumagendo aperiat, ut corium illic cadere poſſit.

Pariens, cùm dolor occurrit, quantum poteſt, ſpiritum cohibeat, neque clamet quic-

quam.

Si corium non dum rumpatur, obſtetrix anguibus rumpat, vel caute diſcecet, ſi rumpi nequit; & immiſſis paulatim digitis, plus aperiat.

Matrice aperiente ſe, tum conetur parturiens; cùm concludit ſe, conari abſtineat: atque obſtetrix, cùm aperuerit ſe, prehendat ſecundas, & in diverſum, huc atq; illuc leviter adducat.

A lateribus verò, miniſtræ ſine quaſſatione, manibus apertis deorſum deducant.

Cumque exire fœtus cæperit, manibus lino tenui, ac molli moderatè calefacto, extenſo, eum ſuſcipiat obſtetrix, & ut una ſecunda exeant prouideat: quæ ſi reſtiterint, atque os uteri adhuc diductum fuerit, & relicta ſecunda alicui parti convoluta adhæſerit, manus ſiniſtra calida, atque oleo illita in fundum dimittatur, atque ſecunda extrahatur. Sin verò ſit fundo connexa, leniter, atque placidè, primùm in obliquum deducatur, huc, atque illuc circumagendo, deinde paulatim validius attrahatur.

Sin vulvę os clauſum fuerit; utendum perfuſionibus, & ſiniſtræ manus digitis leviter aperiendum, & paulatim dilatandum. Quod ſi minus ſucceſſerit, adhibendum adhuc perfuſiones, fomenta hyſterica, & unguenta molliẹntia atque laxantia. Atque ſi robuſta

busta satis fuerit, & tempore sternutamenta, ex castorio, pipere, sinapi & naribus admovenda: & potionibus utendum ex rosis pallidis recentibus, allio, artemisia, althæa, pulegio, rubia, & cæteris hysthericis, decoctis: ex quibus & suffitus, & fomenta parari poterunt, die primo, aut altero exactis.

Si nec his se cundæ successerint, dilacerandę non sunt, nam haud multis post diebus, putrefactæ, & in saniem resolutæ excident per se.

Si plures infantes uno deferantur; iterum, a superiore, infernaq; parte sic referes, ut omnia sensim fiant, & citra confusionem: Locis oleo perunctis.

A partu, spongia longa extergeatur, jaciturque in lecto, cubiculo obscuro, pedibus modicè patentibus, ne quid foras effluere promptum impediatur.

Loci ipsi, pannis contegantur calefactis, & frequenter mutentur. Sed & lanis mundis oportet, & ventrem, & pectinem contegere: & ipsam partem oleo viridis modico vino admisto irrigare.

Biduo a cibo abstinere convenit, vel hunc liquidissimum, & tenuissimum sumere.

Tertio verò die, encathismate calido, & perunctione curata, aqua calida facies fovenda, cibandaque simplici cibo, pane aqua calida macerato, & pultibus, & ouis sorbilibus: atque aquam calidam, vel alium dilutum, atque calefactum

factum potum,ad bibendum dabis.

Septimo autem die, vbi nihil obſtiterit, lavacro tepente uti poterit,& varijs cibis validioribus paulò,& vino modico aqua diluto, vel potione paulò meraciore:ac ſenſim ad conſueta pergat omnia. A partu ſatis purgabitur,ſi ſanguis fluxerit vberius primo ſecundo fæculentus,& paucus noviſſimè purulentus.Niſi mater ipſa infantem lactet, ſtringendum ei lac ac reprimendum: principio modicè repellentibus, linteo poſca madefacto,& māmis appoſito, ac poſt folia portulaca trita cum aceto: ovi album cum aceto agitatum: & cicuta trita, &c. ſunt applicanda.Vltimo,digerentia, cum modica aſtrictione:ut apium tritum cum aceto, & roſaceo: vel petroſelinum aut cuminum aceto tritum,&c.

Hactenus de geſtis quibus motus adhibemus; ſequitur quies.

Quies eſto,dum vires recreentur.

Somnus eſto nocturnus:hora una,aut altera, à cœna ineatur: lecto conſueto.

Eſto autem nocturnus,dum prima, ſecundáq; coctio abſoluta ſint: quod ex urina colore flauo,percipitur,ructibus,ac ventre cõtractiore.

Dormiturus,incumbat lateri primũ dextro; brachijs,ac cruribus, modicè contractis: magis hyeme quàm æſtate,capite parum eleuato: vt caput altitudine par ſit humero ſummo: ad finem

nem verò ſomni, in ſiniſtrum ſe conuertat.

Particulari quiete, (ſi ſenſus geſtū ſit,) mutandum obiectum, vel ceſſandum prorſus.

Sin motus ſit, reponendum eſt membrum ea figura, qua maximè ſoluti ſunt muſculi, motionis autores.

Atque brachiis conuenit obtuſangula: cruribus paulo minus porrecta; reliquorum membrorum, prout ſeſe ſenſerit quieſcens maximè leuari.

Hactenus de geſtis: ſequuntur fomenta.

Aër purus eſto: vt qui nec ſtagnorum, nec paludum, (excipe Aegypti paludes quę ſolæ ſalubres habentur) nec fluminum, vicinorum halitu perturbatur, nec barathro, nec metallis, nec ſterquilinii, aut cloacarum vicinitate inficitur, nec montibus undique, ventis occluditur.

Alimentum, viribus, reſpondeat ſumentis viribus, temperamento, conſentiat. ſi per ſe vires ſuperet, ſumendum parcius: ſi ſuppar ſit, maiore quantitate, quantum ad indigentiam explendam ſatis erit. Qualitate ſapidum eſto, vel arte fiat tale. Nunquā tepidum ſumendum nec potio. Sumatur ſuadente appetitū: veſperi minus ſumendū, & alimenta nutriendi viribus imbecilliora: qualitatibus, quam in prandio paulo calidiora, ſiccioraque: ut, cibo in tria diſtributo, partes duæ meridie ſumendæ, Tertia ſub noctem. Atque potus tum partior, &

paulo

paulo miratior esto. Tempora cibi, ac potus eadem sint. Sumantur autem, post turbationem corporis, ab ista exercitatione sedatam.

Cibus, potum præcedat: liquidus solidum: concoctu facilis, difficilem. Incipiat (si qua sint) à salsamentis, oleribus, ac similibus. Et tum caro. Cibi omnes una mensa sumpti, sint omnia quoad fieri potest simillima virtute, tẽperamento, materiæque firmitudine. Esto ex bene habitis omnibus, nec senio confectis.

Panis esto fermentatus, autopyrus, sale aspersus.

Si Potus ex aqua sit, esto aqua illa pura, limpida, omnis saporis expers, tenuis, ac leuis. Vt pluvialis, quę fine ęstatis, vel principio Autũni, vel æstate media fluit, silente Cœlo. Mox, quæ cum tonitruis descendit, tertio fontana omnis cuj us fons ad Solem orientẽ erumpit, currit́q; super arenas, ac terram puram. Si cerevisia sit, fiat ex frumento bene maturo, pleno, ac puro, & ex materia pura nec fugilinosa, nec putrida igni succenso, bene elixetur.

Inter cibandum, pitissando, per vices, alternis moderatis, sumpto prius cibo, bibendum: mensura, pro ciborum siccitate, ut pœnitus diluantur. Sin verò, a cibo vrgeat sitis, cocto iam cibo in ventre, affatim bibi potest. Etiam longiore temporis intervallo interposito, interdum liberaliter potare corpore duro, conducet.

Ca-

Cauendū maxime ne tempus edendo potandóq; protrahatur, quin bene manſus cibus, nec nimis feſtinanter, nec lentè nimis ſumendus. Potio item ſenſim hauriēda. A cibo, ſi quid dentibus ipſis inhæreat, lentiſco, aut ſalice, purgandi ſunt: & os (ſi ea glutinoſa ſint) vino proluendum, vel detergentes aliquo.

Hæc de ſumendis; ſequuntur foris tantùm ambientia.

Ea munda ſint omnia.

Aedes ex materia ſicca fiant, & minime carioſa: & parietibus bene craſſis.

Hic ciuitatis viæ, & plateæ, ſaluberrimæ ſunt Orienti, Occidentiq́ue, Soli patentes, & rectę, atque inter ſe diſtantes æquè. Ex urbium partibus, æditiſſimę ſunt ſaluberrimæ. Veſtimenta apta corpori ſunto, & ex materia pura, nec nimis pondere gravante, ſatis tamen ad aëris ambientis injurias denſa.

Huius Dietę anomalia communis, eſt ex conſuetudine (conſueta namque (niſi inſigniter dant) meliora) & vitę ratione.

Hæc generalis diaeretica: ſequitur ex ſanitatis ſpeciebus ſpecialis.

Sanitatis ſpecies ſunt duę: Accurata, & deflectens.

Accurata eſt, cuius cataſceue, ad opera ſummè diſponitur.

Huic

Hinc namque opera, & corporis qualitates, perfectiſſima ſunt. ac primum actiones animales motibus validæ, & concinnæ: ſenſus integri: inſomnia leuia: & interdum de aſtris agilibus, ac ſplendentibus. diuos aliquid in boni dantes & mortuos puris veſtibus ac albis indutos etiam dona porrigentes in ſomnis intertum vident. nec ipſi ſomnolenti, nec pervigiles.

Cupiditates intra modum,

Thymoſes virtutibus conſentientes.

Pulſus, ac reſpiratio, ad cæteros moderati.

Actiones naturales tempeſtivæ, Opera propriè dicta: tam humores, quàm excrementa, nec quantitate nec qualitate admodum moleſta.

Ex humoribus, ſanguinis maſſa ita temperatur, ut hujus ſanguinea pars ſit maxima, & copioſiſſima, mox pituitę dulcis, tum melancholica, & craſſa. Vltimo bilis, minima portio ſit.

Deiectio inter durum, atque diffluens conſiſtentia mediocri, colore paululum bile tincta, quantitate reſpondens eſculentis.

Vrina, conſiſtentia exiſtit mediocri, clara, pellucida, pura, colore ſubaureo, hypoſtaſi alba, leui, & æquali, in acutum faſtigiata, quantitate reſpondens poculentis.

Corporis aliena qualitas nulla, aut grauis. Color cutis floridus, & tanquam ex albo, & rubro

rubro pariter miſtis.

Crines capitis flavi in vigore ætatis dum puer, fulviores pili, inter denſos, & tenues moderati: inter criſpos, ac rectos medii.

Corpore habiliſſimo, ac dignitate ſumma.

Difficile foris occurrentibus offenditur, & æquabiliter ſe habet ad excelſus omnes: ſiue ex anni tempeſtatibus, ſiue ex erroribus dietæ.

Hæc de ſignis accuratè Sani, ſequitur hujus Diæta.

Hic exercitationibus, ac ſtudiis moderetur.

Somno ſufficiant horæ 7. vel octo.

Stratum eſto inter durũ, ac molle moderatũ.

Circa res Venereas gerat ſe moderatè.

Aura temperata qualitatibus eſto, vel arte temperetur.

Si calida ſit, refrigerantibus ut roſis, violis, vitis foliis, & capreolis, ſalicis frondibus, ſtratis, ac apenſis. Vel frigidę alternis, de vaſe, in vas, crebra effuſione: aëris ventilatione, &c.

Frigida, luculento foco: ex materia ſicca, & pura, aromatum ſuffitu, vel ſtirpium odoratarum: ut Juniperi, toriſmarini, lauri, ſanipſuchi, &c.

Sicca, aquæ vaporibus.

Humida, ſuffitibus, ac ignibus.

Si duabus qualitatibus aër exceſſerit, tot item gradibus adverſis temperetur, qualitatibus duabus.

Nutrimentum : Panis eſto heſternus, ex tritico trimeſtri, maturo, puro, denſo, fractu contumaci, colore aureo, cujuſmodi eſt primùm Siculum 2. Aphricum 3. Thoracium 4. Aſſyrium 5. Aegyptium 6. Italicum cætera vulgaria, nec ex recens nimis molita farina, nec præter modum piſta : aqua ſaluberrima bene ſubacta, & ſale, ac fermento, ad guſtum condita.

Et ex tota farina confecta, in moderatos panes diviſa, clybano nec vaſto, neque anguſto, eoque depreſſo, bene cocta. Cibus reliquus eſto pro viribus alendi moderatis, & temperamento temperatis, elixis, vel aſſis, omnibus humore ſuo turgentibus.

Ex carnibus Quadrupedum : Hædina, vitulina, maximè lactens, tum non lactens, deinde, agmina non lactens, juvenis caſtrati ex agnis, ſuilla juvenis, capreolus, cuniculi juvenes, quadrupedum linguæ, & glandulæ. Gallinæ caſtratę, ex volucribus, anſerum alę, ac ventriculus, gallinacei juvenes.

Gallorum Indicorum, phaſianorum, gallinarum agreſtium attagenarum, gallinarum, perdicum, phaſianorum oua, cum cortice elixa, atque tantùm tremula, nec tamen ſorbilia : Suffocata, mollia, & horum vitelli, maximè, recentia omnia.

Lac recens, nec partui proximum. bubulum, cum ſale pauco, melle, vel ſaccaro, ſolùm, longè

gè ab aliis edulijs, ventre jejuno, poſt quod, os vino aſtringente proluendum, & dentes tergendi.

Caſeus ovillus, recens, ac mollis, nec admodum ſalſus; nec nimis coagulo fervens, omnia locis ſalubribus, ac temperatis nata.

Piſces puræ aquæ indigeni, rapidæque, & nutrimento puro utentes, modicæ magnitudinis, carnis albę, friabilis, pinguedinis modicæ: & ex marinis, ſaxatiles ut ſcaræ, merulę, turdi, julię fuſæ, percæ, item puri maris aſelli, mero. Ex ſtagnis marinis rhombus, ſparus, mullus, bugloſſa, paſſer, denique ex cæteris maritiis cynedus, acus, hepatus, citharus ſcorpius. erythrinus, coracynus, pagrus reus, terpedo, &c.

Ex fluviatilibus Salmo, truta, perca, lampreta, ſturio, dracus, rubecula, gobiones, &c.

Ex oleribus malvę, ac lactucę parum. ficus recentes, ac uvę, maximè paſſulę, pyra dulcia. ex fructibus.

Potus, vinum viribus moderatum, vel cereviſia, ętate utrunque moderatum.

Domus habitationis eſto, ad orientem, meridionalemque Solem. Sita loco nec edito, nimis nec humili.

Atque hæc accuratè ſani diæta eſto; ſequitur anomalia ex vitæ inſtituto.

Hic namque, ſi præceptis his vacare nequit, & ſpontis ſuę ſit, nullis ſe diætæ legibus

obligare debet. Sed varium vitæ genus ſequi, modò ruri eſſe, modò in urbe, ſæpius in agro, nauigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere, interdum balneo, interdū aquis frigidis uti, modò ungi, modò negligere, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convivio eſſe, interdum ſe retrahere: modò plus iuſto, modò non amplius ſumere: bis die potius quàm ſemel cibum capere. & dummodo coquat, ſemper quamplurimum. concubitum nec nimis concupiſcere, nec nimis pertimeſcere.

Hæc de ſanitate accurata atque hujus Diæta; ſequitur deflectens.

Sanitas deflectens eſt, quæ ab accurata deficit: huius ſigna ſunt deflectentia opera.

Dięta tot gradibus eſto deflectens.

Deflectens duplex eſt: temperie, vel conformatione.

Tẽperie deflectens eſt cujus craſis deflectit.

Signa ſunt Craſis opera deflectentia, ut nutritio, eíq; ſervientes actiones naturales, & inde nata opera.

Diæta temperamento tot gradibus deflectat: Si vitę ratio impedierit, error in contrario potius quàm in ſimili committatur.

Craſi deflectens eſt duplex: vel ad calidum, vel ad frigidum.

Calidæ deflectentis ſigna: Iracundiores tem-

pe-

peratis ſunt. pulſus majores, frequentiores, & reſpiratio talis. infantes dentiunt, augeſcunt, & cęteris articulatè citius loquuntur.

Coctio durorum, ac validorum: urina atque dejectio coloratiora. jam maturi, veneris appetentiores. ſemen his craſſiuſculum, & ferventius: maſculorum generatores temperatis percipiuntur calidiores. Colore rubido ſunt, pilis nigris, hiſpidis, citò natis, venis latis, graciles, & adipis expertes. niſi vitæ inſtitutum, & conſuetudo impedierit. calefiunt promptè.

Dięta: totidem gradibus calida omnia.

Calida, Humida Signa.

Senſus hebetiores, ac motus temperatis tardiores, inſomnia viſis plena, ad iram proni, nec tamen feri. Pulſus molles, ſanguine redundant. facile venerem ferunt, ętate ad eam maturi citò ſemen excernunt, ſemen his multũ, conſiſtentia paulò humidius, ſpumoſũ, excremẽta copioſa, & moderatè cocta. Color eis ſãguineus. Corpus mollius, & carnoſius tẽperato. Capilli ſufflavi, recti, plani, craſſi, molles, calueſcentes tandem.

Calid. Humi: Dieta.

Calida, humidaque, pariter eſto.

Exercitatio his convenit modica, & ſenſim adhibita, leviter calefaciens, balnea calida, vnctiones, & ex oleo frictiones. Sõnus tẽperatis prolixior. Stratum mollius, umbra tepens, ocium.

mora in lecto pluſcula. Venus tẽperato rarior.

Alimenta mollia,& concoctu facilia.

Domeſtica,nec crudivora,nec voracia, herbivora, non frugivora,multibiba,tenella, minus exercitata,locis depreſſis,nec editis procreata.

Piſces cartilaginoſi,anſerum carnes lacte nutritorum anatis,& volucrum paluſtrium,piſcium capita,ac ventres. Alimentum ſæpe ſumptum,ac multùm ſi vires ferant.

Ova aſſa,vel elixa,nec tamen dura.

Lac aſininum, bubulũ, caprinũ cum melle.

Ex oleribus rapum.Ex fructibus ficus virides,botri uvarum,pyra matura.vinum rubellũ, vel fulvum,paulò calidius,& meracius, temperato.Si ætate increſcente flectat,eaq; tenella ſit, ita deinceps ad vigorẽ curanda : Infantiæ autẽ ſanæ indicium eſt, ſi mater toto geſtationis tẽpore ſana fuerit,& infans ipſemet ejulatum recens in lucem æditus ſatis validum ædiderit.

Itaq; quãprimum recens natus eſt infans,ubi modicè requieverit, ab ejus ventre digitos quatuor,ſcalpello,vel cultro acutiſſimo, præcidendus ei umbilicus:eoq; præciſo,ſanguis inibi reſtans exſiccandus: & lana torta vel licio, umbilicus ligandus tribus digitis a ventre mẽſuratis:deinde,duplicatus umbilicus,& lana involutus leviter in medio componatur,& ſupra umbilicũ,hapſus lanæ madefactus imponatur ad umbilici figurã formatus.tum puellum muria pauçi ſalis (oculis çautis) prolues, vel ſale aſ-

aſperges.delicatioribus totũ corpus ſucco ptiſanæ, vel fœnigræci detergendum. Atque deinceps bis die,horarũ aliquot interſtitio poſt cibum,ablues;loco obſcuro, & temperatè calido. Lavatrix autẽ manu dextra (levi brachio ejus pectori adacto)infantẽ prẹhendat,& æſtate aqua tepida,hyeme calida generoſóve temeto, ovorũ vitellis duobus adjectis, a colluvie omni exquiſitè pelluat: atque (unguibus præciſis) ſordes naribus,digitis exprimat,atque aures,& anũ,minimo digito purget,anumq; diſparet.oris omnẽ ſalviã(immiſſo digito) tollat, & leuiter gingivas,& linguã confricet. Cumq;corpus ejus viderit aliquãtulum calefactũ,tũ in tepidã eũ deponat,ac madidũ jam infantẽ molli linteolo deſiccet:& membra ſingula,levibus preſſuris efformet: atq;excultius effingat. Veſicã(ut lotii egreſſus faciliter fiat)deprimat,& mollibus lin teis,ac pãnis levibus,brachiis ad coſtasporrectis obvolvatur demũ;inſtitiſq;(capitio capite oper to)pervinciatur,& in ipſius nares oleũ cõjiciatur: deinde(capite ſuper latus elevato)cunabuloſuaviter ſemicirculari motu quaſſo,ſuccentãte quapiã,obdormiat:loco tẽperato,nec valdè lucido,nec ſtrato,aut capitis pulvino valdè molli.

Dum ſatis ſolida fuerint membra, faſcinãdus: tumq; ſenſim faſciæ auferendę. Poſt quã umbilici pars ceciderit,(id quod ferè vel quarto vel quinto die contingit)cochlearum teſtarũ cinere inſpergatur,aut tali ſuilli,&c.atq; fructũ plũbi,denarii magnitudine cavũ umbilici effingat.

Puerum in ulnis geſtet nutrix iam tres menſes quatuórve natum: ſemper antequā lactet, nec unquā pòſt, quo tempore, & vagire infans poterit. Uſque dum parentis temperatura priſtinę naturæ reſtituatur, infantem alia atque mater lactet nutrix, (ante diem quartum, matris ubera ne attingat) bis, ter, vel ſæpius die (primo excepto) quo die, octo, vel decem horas poſt omnem commotionem, ſumat modicum mellis decocti, atque deſpumati, quo nutrix os eius illinat, & mulſam tepidam pòſt inſtillet. Tum, die ſecundo, lac offeratur.

Nutrix verò, talis eligatur: Aetate inter 25. & 35. vel ſaltem haud quadragenaria ſenior: quæ bis, aut ter, pepererit. Coloris vividi, fortis, ac robuſti colli, pectoroſa muſculoſa, duræ ac multæ carnis, nec obæſa, nec gracilis, cujus mammæ ſolidæ, ac firmæ ſint: mediam magnitudinem, modicamque duritiem obtinentes: & papillas magnitudine moderatas, nec cauernoſas, quibus lac plurimum ſit: odoratum, candidum, perdulce, æquabile, nec admodum craſſum, nec tenue: quod pollicis vngui inſtillatum dum ad lucem conſideratur, inflectendo unguem, neque citò, neque tardè, defluit.

A partu eſto 45. vel 60. Soles, maremque pepererit, nec abortire aſſueverit: porrò ſana eſto, & moribus integris, coitu abſtineat, & conceptum fugiat: quæ ſi conceperit, alia eligenda. Optimis alimentis utatur, ac ſatis ſe inui-

invitet liberaliter.

Primis diebus quibus lactare incipit, simplicem cibum, ac levem, accipiat: & potum dilutū bibat: postea, prout robustior puer evadit, cibos solidiores ne recuset: Omnia præterquam dulcia fugiat, saporibus insignia.

Antequam applicetur mamma, si mater ea sit, crassum ex uberibus emulgeat prius, & aqua calida moveat ubera.

Nutrix inambulet primum, pòst mammam fricet, & modico post lauacrum tempore, infantis ori applicet: & prius, singulis vicibus, mellis pauxillum ex pauco vino lingendum tribuat: itē lactis aliquid emulgeat, & mammillæ pressione, infantis succionem iuvet. Singulis lactationibus copiam parcam adhibeat: modò dextra, modò mamma siniſtra.

Lactandi verò tempus opportunum, cùm labia frequentius moverit, eáque aperuerit sæpius.

Si lac nutrici defecerit; uberius alendum, & cibi succi melioris dandi: si penuria causa sit; sin alvus minus soluta, & hæc sistenda. Exercendæ partes supernæ, vbera fricanda, & spongiis ex aqua tepente fovenda, & oleo irino, vel simili ungenda.

A proprietate lac augēt lumbrici terræ quinque, vel septem, triti, cum palmulis passis ex zytho, vel cereviſia coctis poti, jejunę, ad dies decem, Et feniculum aut anethum viride, cum pti-

ptiſana coctũ,& ad ſorbendũ datũ, lactis proventũ faciet.ſic perdicis ova ſorptui data,& cãcri cũ lapatho,& apio in jure cocti,&c.Lac ſi nimis craſſũ fuerit, nutrici pituita vomitu eliciatur & laboribus cibũ prȩcedentibus pluribus extenuetur,&cibi ſucci tenuioris uſurpentur:& condimentis utatur acrimonia expertibus: atq; in juſculis origanũ,hyſſopũ,ſatureiam,thymũ, &c.ſumat.

Sin verò lac acre fuerit,nutrix balneis dulciũ aquarũ temperatis, & cibis euchymis, & tẽperamẽto moderatis,corrigenda. Et priuſquã puer mãmę admoveatur,omne lac vitiatũ emulgeat. Tenue verò ſi fuerit, utendũ in cibis pultibus,ovis elixis,& coctis,alica,pane ſimilagineo pedibus,atq; extremitatibus porcinis, carnibus hædinis, volucrioribus tenerioribus, ac vino dulci.Exercendum & his eſt validius.

Si lac coagulatũ fuerit, mentha, contuſa, vel pulegiũ cum farina ſeminũ lini, vel fœnigræci, pauco aceto admiſto, mãmis applicandum. vel ſuccus apij,cum cicerũ farina, & aceto miſtus, & applicatus,lac coagulatum diſſolvet.

Poſt annũ,& ſex menſes,eſt ablactandus:aut ſuppleto biennio : lacteq́; ſolo eſt alendus,vel alimento jurulento dũ inciſores dentes ediderit:Dentire autẽ ferè incipiũt infantes ſeptimo menſe.quibus tũ multa oris ſaliva, & gingivarũ dolor,ac vẽter ſolutus.quo tẽpore,a durorũ maſticatione abſtineant,maxilla lanis ſuccidis,

oleo

oleo chamemælino intinctis foueantur: ac gingivæ butyro, ac melle, pariter mistis, leuiter fricentur: & aqua calida foueantur.

Cùm prædictos dētes ediderit: tū bene præmansū dato cibum, atq; cū ablactandus est, paucis ante diebus, conuenit offerre micas panis in mulsa, vel in lacte saccharato infusas, vel pultes: tūq; raro ad didas applicare, & nouissimè prorsus lac negare. & quæ amara sunt māmis illinere. potū bibat tū dilutū, & ex vase papillę formam imitante, ore suo exsugat. Atq; prout ætate, ac robore creuerit: alimentis vtatur sensim firmioribus, quàm in ipsa prima infantia: omnibus tamen liquidis, & calidis.

Ne infantes in vehementes animi motus incidāt, magnopere cavēdū: & imprimis ablato eo quod molestū habet (quod interdū ex diuturnę quietis tædio oritur) vel papilla indita, vel vocis modulatione, vel motu mediocri, idque vel in cunis, vel in ulnis, vel pendentibus lecticis, sedulò placandi.

Per se mouere queunt, cū cęperint repere: ac tū vehemētes motꝰ cavēdi, nec sibi motib. credēdi.

Postquā lacte nutriri infātes desierint, liberaliore eis modo, & suo ingenio, hilariter vivere permittēdi exercitiis. Utātur, & alimētis levioribus, victu tamē uberrimo & sępiusculè dato.

Cùm puer a somno expergiscitur, balneo fovendus: deinde dimittendus ludere; hora pòst edere dandum aliquid: deinde ludat diutius; pòst, balneo fovendus: tumque iterum ciban-

cibandus.

Tertium, aut quartũ annũ agentes, navigio, aut vehiculo modicè agitari ſuſtinent.

Septennes, æquitare queunt.

Ab anno ſexto, vel ſeptimo, tum pueri, tum puellæ, litteratoribus blandis, humaniſque tradendi, atque tum non erit neceſſe balneis aſſiduis uti, ſed hora cibi inſtante, mediocriter exerceat, atque (per calores) a cibo, frigidam potare queunt.

Duodecimum egreſſi, ad grammaticos, & geometras mittẽdi, & corpora magis exercẽda.

A decimo quarto ad viceſimum primum, mathematicis diſciplinis, & ſapientiæ ſtudio incumbant, & pluribus exercitiis ad corporis robur credantur.

Aetate florentibus, labor, & exercitatio validior conuenit, item cibus plenior & valentior.

Hactenus de flectente calida humida; ſequitur calida ſicca deflectens.

Calidæ ſiccæ deflectentis Signa.

Motus perfectus: mobilitas in opinionibus: celeritas motus; ſõni leves, brevesq; : inſõnia (ſi qua) ignea, ingenii celeritas, audacia, temeritas, ad Venerem procliviores prędictis, citò ſatiati, vox clara, aſperaque coctio validior: Calidis Humidis, Excrementa pauca, ſemen paucum, denſiſſimum, craſſiſſimum, globoſum, fervens, tardè excretum. Valdè hirſuti corpore, capitis

tis pili citò, & multum aucti, nigri colore, calvescunt tandem facile. firmū, articulatum, musculatum, & pinguedinis exors totum corpus. cutis dura, ac nigella.

Diæta.

Matutinæ deambulationes plures temperatis, & labores, balneum calidius, frictio ex oleo calefaciente. Sudores; deambulatio acuta ab exercitatione a cœna tarda in tepore. Sol, ignis, coitus frequentior temperatis.

Somni longiores jejuni, vigilia, jejuna, stratum durum, Cœna contenti esse poterunt.

Nutrimentum validum, & multum si vires ferant etiam ex carnibus animalium robustorum, ac cæterorum vino conditorum, & sale. suis sylvestris caro, Cervi, leporis, omnia volucrum genera.

Exceptis palustribus, maximè his conveniunt palumbes, columbæ, perdices, galli, turtures, seminileges omnes.

Cicurium animalium sylvestria, Sylvestria omnia. Crudivora, syluarum materie pasta, non voracia, fœnivora, frugivora, sanguinea, parcibiba, vigentia, mascula, nigra, hirta, assa omnia. Ex locis siccis, & æstuosis petita. Ex piscibus: draco, scorpius, Callyonimus, cuculus glaucus, perca thryssa, conchilia omnia, piscium partes superne, salsamenta marina, panis ex tota farina clybano coctus, & subcinericeus. Maza recens subacta, polentæ ac farinæ recentes,

tes, panes calidi. mel. ſorbitiones nullæ. potiones parcę.

Olera acria: allium, cepe, porrum, raphanus, naſturtium &c. vinum nigrum, lene, calefaciens, cereviſia valida, ac generoſa.

Hæc de flectente calida; ſequitur deflectens frigida.

Flectentis frigidæ ſigna.

Pulſus temperatis minores, & reſpiratio huic analoga. timidi, ad actiones ſegnes, ad iram tardi. veneris minus appetentes, nec ſenſibus admodum valentes. Corpus tactu frigidius temperato perceptum, refrigeratio prompta. Cutis rufa, atque ſi multùm exceſſerit livida, glabra, Capillus rufus, adeps per carnes ſparſus, capilli multo poſt natalem orti, tenues, & malè nutriti, ſtabiles, caneſcentes tandem, nec omnino calveſcentes.

Diæta.

Eatenus refrigerantia omnia, quatenus ſanitas deflectat.

Frigida deflectens duplex eſt:
Frigida, humida: vel frigida, ſicca.

Frig: humidæ deflectentis ſigna.

Senſus obtuſiores, motus item tardiores, ſom-

somnolentia, ac somnus grauis, & profundus. pulsus molles, ac parvi, Irę minimè tenaces, penis tarda erectio, emissio seminis velox.

Excrementa multa; semen tenue, aquosũ, rarũ, aquosum, candicans, spumosum, frigidiusculum, femellarum prolificum.

Corpus molle, laxum, rarum, pili (si qui sint) per corpus albicantes, molliſſimi, atq; planissimi.

Dieta:

Vehementibus abstineant tam animi, quàm corporis motibus: hilariter tamen degant, atque umbratilem vitam sectentur. & lentibus motibus gaudeant, parcè exerceant se, balneum aquę tepentis jejunum, & ante id, ambulatio matutina multa exercitationis loco esse poterunt. balneum tepentis aquæ secundum cibum, somnus secundum cibum, atque is secũdum prandium breuis sedendo, calceis exutis fricentur interdũ ex aqua, & oleo. A cœna surgant tantùm. Somno indulgeant liberali, strato molliusculo: Venus his convenit rara.

Alimenta mollia sint consistentia: facilia concoctu, & ex his pisces, & ex piscium partibus; capita, ac ventres. Ex carnibus: domestica, herbivora, multibiba, tenella, exanguia, femella, Castrata, alba, nuda, minus exercitata ex locis humidis, nec ęstuosis juscula crebra, cibi pauci, & frequentes. succorum acido-

acidorum intinctus, pingui aliquo admisto.

Suum petunculi, articuli, rostra, alæ.

Panis hordeaceus, vel avenaceus, aut ex vetustis farinis maza, oxygala, fructus cum alijs cibis.

Lac tenue: olera insipida, acida.

Potio diluta, & satis larga.

Aedes, ad Aquilonem, & occidentem solem: loco humili, atque depresso sitę.

Deflectentis frigidi, sicci Signa.

Corpus duriusculum, tenue, sensus in iuventute tantùm vigentes respiratio, & pulsus tardiores, ac rariores. irasci coacti, difficilè placantur. sanguis his parcus, & semen paucum.

Dieta.

Laboribus his incumbendum predicta pluribus, motus veloces, somni jejuni, & a matutinis de ambulationibus.

Calida balnea jejuno plurima, cœna contenti sint vigiliæ, stratum durum.

Nutrimenta: Carnes animalium robustorum aceto maceratorum, & conditorum, & eodem modo condita. cicurium sylvestria, & agrestia omnia, crudivora, sylvarum materie pasta, nec voracia, fœnivora, frugivora, sanguinea, parcibiba, vigentia, mascula, nigra omnia: Intinctibus frigidis, siccis, vel condimentis similibus, frigida, atque sicca, arte reddita. Ex locis ina-

inaquosis, & æstuosis, petita. volucrum genus: palumbis, columbæ, perdicis, galli, turturis, volucres seminileges. Ex piscibus draco scorpius, callionymus, cuculus, glaucus, perca, thryssa, assa omnia: conchiliorum omne genus. Salsamenta, maximè marina: mox fluviatilia: tum palustria, &c. ex salsamentis percæ ficciſſimæ. Panis ex tota farina, clibano coctus, & subcinericeus: hordei polentę, ac farinę vetustæ, holera frigida, sicca, vel præparatione talia. vinum austerum, tenue, & cerevisia similis. Hic ex senili ætate anomalia oritur: His namque aër calefiat, & humectetur: & balnea quotidiana sint aquarum dulcium calida. & exercitationes leves, parcæ, & quies multa senibus conveniunt: atque somnus longior & frictiones ex oleo matutinæ, moderatæ: ac tum gestatio, vel deambulatio. vitam lætam transigant, & venerem fugiant.

Cibus modicus, humectans, & calefaciens, in tria tempora vel plura partitus: hora tertia panis purus, & bene fermentatus cum melle despumato: circa horam septimam, frictis, exercitatis, ac lotis, prandium, ac in prandio alvum subducentia, ex oleribus beta, & malva, tum pisces saxatiles, atque pelagiorum genus optimum, ut scorpius, cytharus, hepatus, umbra, laccia &c. 1. post prandium, in lecto quiescant: Deinde moderato motu utantur.

Ad vesperam cœnantes piscibus abstineant,

ſed carnes ſumant ex ſimplici jure decoctas. quinetiam ante cibum iuvat ficos dulciſſimos virides, & maturos eſſe, & hyeme caricas.

Senibus ſi quando alvus aſtricta eſt, ſorbendum oleum dulce ante cibum, vel clyſter tepens infundendus. Ex oleribus: borago, buglоſſa, &c. acriuſcula conveniunt. ex fructibus uvę maturæ, paſſulæ, amygdala, nuclei pini, piſtachia, potio: vinum calidioris naturæ, ſubſtantia tenuiſſimum, colore fulvo, vel palido, ut falernum, Surrentinum, Arviſium, Lesbium, Myſium, & Tmolites, capite firmis; imbecillioribus: Adrianum, Sabinum, Albanum, Gabrianum, Triphilinum vetuſtum omne. vel cereviſia ſatis generoſa & mediæ ætatis quibus borago, buglоſſa, & citrago, ſalubriter miſcentur.

AEdes ad meridiem, loco humili.

Veſtimenta villoſa, & calefacientia.

Hactenus Diaterica Eucraſia flectentis.

Deflectens ſecundum conformationem ſerè raro, atque denſo corpore continetur.

Rari corpore maximam partem calidiores, humidioresque exiſtunt: & tactu molles, & facilè ac citò exercitatione ſudantes, atque labo-

laboribus citò exoluti, externis facilè offẽdun-
tur.

Dieta.

Exercitatio moderata, balneum temperatum, & frictio ex oleo molliuscula, moderata Hilaritas. venus.

Nutrimentum coctu facile, ac lentoris expers. Ex quadruped. animalium siccorum lactentium hædina, vitulina, agnina, non lactens. &c. Ex volucribus, gallinacei, capones, phasianorum, &c. Ex piscibus, saxatiles, & omnes molli carne, atque friabili præditi.

Panis autopyrus, bene subactus, fermentatus, & sale conditus, ac furno satis coctus.

Oua tremula, Caseus oxygalactinus, & recens.

Aedes ad meridiem sitæ.

Vestimenta satis crassa, & ex panno densæ texturę, vel pellibus confecta.

Densi corpore.

Horum Signa sunt raris contraria.

Dieta.

Exercitato corpore raro minor, ac parcior, frictio itẽ parcior, & durìuscula. Cubile durum.

Nutrimenta Substantiæ tenuioris quàm corpore rarò, panis hordeaceus, & clybanitis, ex tritico. pisces saxatiles, & ex cartilagineis,

torpedo,& turtur, & aviculę montoſæ, & turricolę, ac vineas colentes, Turtures, ac perdices die uno mortuę antequam edantur. fructus: mora, ceraſa,ficus, pruna, caricæ,nuces, piſtachia, amygdalæ amaræ, piſces aceto & muria conditi. nec non carnes ſuillę ſalſæ, & exſuccæ. potus: vinum flavum,dulce,& ſplẽdidum,Arviſium,Lesbium,Falernum,&Tmolites. vel cereviſia diluta, vel mulſa tenuis.

AEdes ad Orientem.

Hactenus de Hygieina parte diaterica; ſequitur prophylactica.

Hygieinæ pars Prophylactica.

Prophylactica eſt pars Hygieinæ, qua ſanitas in morbos prona erigitur.

Prophylacticæ partes duę ſunt:

Sanitatis nimium flectentis emendatrix.

Et errorum Dięrę correctrix.

Nimium flectentis ſanitatis ſigna ſunt opera nimium flectentia.

Diæta: Sanitas deflectens nimis,tot gradibus contrariis vel etiam pluribus, ſenſim, per ocium retrò agenda.

Sanitatis nimium flectentis emendatrix eſt, vel Craſis,vel conformationis.

Craſis ſigna nimium flectentis ſunt hujus opera flectentia. Diæta huius,eſto craſi tot gradibus

dibus contraria.

Crasis nimium flectit, vel cùm aliqua tantùm membra crasi flectant, vel cùm pariter omnia.

Alicujus tantùm membri, vel aliquorum flectentium signa sunt, eis ipsis opera propria flectentia nimium. Suntq; ferè partes publicæ, ac principes, ut Caput, ventriculus, Cor, Pulmo, Jecur, Lien, testes, Uterus.

Capitis calidi signa sunt toti flectenti communia secundum capitis actiones & opera. Tantum nimium flectere, huic proprium Correctio.

Lotiones refrigerantes jejunæ, corpore prius quotidianis excrementis vacuato, atq; exercitato, ac tum lotiones: ac post eas, vnctiones refrigerantes: Odoramẽta frigida, & inodora, naribus sæpius admota ex frigidis. A cibo, fructus frigidi, & austeri. Vitẽt soles, maximè a cibo, & a vini vel cereviſiæ fortis potu. Potio esto diluta. Cogitatio post cœnam vix tuta, a qua ambulatio sub tecto sit. His oculi mane, vel die, sæpius frigida multa fovendi.

Cerebrum Calidum Humidum.

Frictiones capitis jejunæ multæ, lotio tepẽs, ex frigido rũ, ſiccorũq; decocto: ut rosis, violarũ foliis, foliis ſalicis, vitis capreolis, ac foliis, cynosbati, centinodii, aranciorum, limonum &c.

pauco aceto decoctis infuso.

Vnctiones fiant ex rosaceo, myrtino, melino, &c.

Odoramenta frigida sicca, Ex santalis, rosis, ligno Rhodino, camphora, &c. ex quibus atque similibus pomum odoratum conflari poterit, frequenter odorandum.

A cibo malum Cydonium, vel pyrum furno coctum, & induratum, atque fructus astringentes. Caveant austros, nec unquam post cibum progrediantur.

Calidum siccum.

Calidis, & siccis cerebro, conveniunt irrigationes ex aqua frigida, vel frigidorum decoctis. ut lactucæ, solani, portulacæ lentis palustris, papaveris hordei, &c: Ex oleis, violaceo, nenupharino, &c. Nunquam, vel raro caput veste velent, &c. per æstatem, (corpore aliâs robusto) bene largo canali quotidie aliquandiu aquæ frigidę effluenti caput subjiciant.

Hii vigiliis fatigantur, & præpropere calvi fiunt.

Ad vigilias lactuca ędenda, & papaveris viridia folia obsoniis miscenda, & dormituris caput oleo violaceo, vel rosaceo, refrigerante aliquo succo admisto, ungendum, vel oleo cui capita papaveris incoxerint, & una pedes decocto refrigerantium fovendi.

Ad

Ad calviciem, unguentum ex ladano, oleo myrtino, vinóque astringente confectum, vel ex ladano, & oleo lentiscino.

Item polytrici herbę pars una, ladani partes duæ, vino astringente, oleóque myrteo exceptæ inungantur, & effricentur.

Cerebrum ad frigidum flectens.

Irrigationes, vnctiones, ex calidis, & suffitus aromatici. Caput bene tegatur, Luna vitetur, maximè ante ipsum Lunæ, Solisque congressum. Multùm ambulent manè, Horum oculi interdum stillatitia fœniculi fovendi, & ex melle ac tenui liquidóque fœniculi succo ad oculorum claritatem, illinendi: vel etiam melle, ac butyro salis expertè vngendi, &c. His adversus surditatem ùtile erit, (maxime hyeme & diebus aquilonaribus,) aliquid olei amigdalarum dulcium auribus instillare, & lana nigra oleo imbuta leniter obturatas tenere.

Frigidum Humidum.

Fricationes multæ, pannis asperis, & thuris, styracis, vel electri, atque similium fumo suffitis. Lotiones ex herbis calidis, siccis: ut, lauro, sampsucho, salvia, bętonica, chamęmelo, ruta, &c. sale vel alumine vel utroque adjecto.

Meatus omnes in cerebrum ferentes, purga-

tiſſimi reddantur: per nares, errhinis ut betę ſucco, bellidis, anagallidis utriuſque.
Odoramento ſint ex aromaticis, ſtyrace, muſco, laddano, gariophyllis, nuce moſcata, civeta, &c.

Sternutatoria, ex betonica, attrita, & naribus inſerta, vel feſtuca indita: omnia jejuna.

Per palatum Maſtichatoriis; ex maſtiche, herba pediculari, pyrethro, &c.

Gargariſmatis, ex ſapa, & oxymelite, cum ſynapi, &c.

Diachriſto, ex ſapa cum betę ſucco, palati, & columellæ regionibus illita.

His utilia ſunt tragemata cal: ſicca, ſaccharata poſt cibum ut aniſi cinamomi anthos, &c.

Vitent pernoctationes ſub Dio, & aquarum auras caveant, matutinum ac veſpertinum frigus fugiant.

Cœlo nubilo, Soli aperienti ſe minimè committant. Aurium ſordes his diligenter linteo dropace tincto immiſſo, & ubi apprimitur extracto tergendæ, & guttula una oleo laurini auris meatus illinendus, vel exiguo fellis bubuli cum pingui anſerino.

Hii citò ſeneſcunt, & ſomno nimis gravantur. Ergo Ad caniciem, Capparis cortex aqua, vel lacte aſinino, vel bubulo coquendus, dum tabuerit: atque tum (capiti raſo) illinendus ſimiliter & cortex radicis ilicis coquitur, & uſurpatur.

Item pix liquida oleo miſta utiliter illini po-

poterit ad idem.

In nimiam in ſomnum proclivitatem, iuverit pulegium, vel nepetam, vel hyſſopum intritum aceto acerrimo, vel aqua vitæ intritum odorari, &c.

Cerebrum Frig. Siccum.

Irrigationes ex calidis, humidis, etiam poſt prandium: unctiones ex oleis: lilliaceo, chamæmęlino, & herbis cephalicis cal: incoctis & oleis miſtis. Odoramenta calida, ex liquorum convenientium vaporibus elatis: quibus & aurium meatus, adverſus gravem auditum irrorantur ſalubriter: & pòſt oleo dulci, ac maturo, illinuntur.

Hii ſi vigiliis premantur à ſumptis jurulentis ſomnium tentare debent, & a cibo humectante. atque anethinum oleum, non vetus, fronti, temporibus, atque capiti toti illinere.

Hæc de cerebro flectente.

Ventriculus flectens. Ad Calidum.

Cibus validus, & ſatis copioſus, actu frigidus fructus ante cibum, potus dilutior.

Cal. humidus.

Cibi aſtringentibus ſuccis macerati, & in tinctibus aceti aranciorũ, limonum, &c. prępărati.

Potio parcior, & refrigerantior. ventriculus oleo roſaceo, vel myrtino ungendus.

Cal. Siccus.

Potio liberalior. aquę potio, corpore ſatis robuſto nec obſtructionibus obnoxia & fructus lubrici: ut mora, pruna, perſica, ceraſa, ante cibum, & olera frig. humida. Cucurbita, cucumis, & reliqua cocta. Edulia præcedenti duriora viribus ferentibus conveniunt, & materię valentioris.

Hii ubi crudum ſine præcordiorum dolore ructent, ex intervallo aquam frigidam bibant, & ſe contineant. Si propter ardorem aliquem noctu ſitiant, antequam quieſcant; duos, tréſve cyathos, pertenuem fiſtulam frigidæ bibant: vel potionis dilutæ, atque bene frigidæ. Hos item juvat ventriculum oleo myrtino inungere.

Ventriculus frigidus.

Omnia calefacientia, & calidorum inunctiones: ut coſtini maſtichini, &c. Nunquam ſurgant, niſi bene coxerint. & ſi ſurrexerint, iterum dormiant. Per hyemem, totis noctibus quieſcant, etiam primo ſomno, ventri incumbentes. Et palmulæ, amygdalę piſtachia, &c. ſumenda ante alios cibos.

Frigidus humidus.

Acria omnia, & ſine frigiditate aſtringentia. potio exigua, eaque vini meraci, ac generoſi: vel cereviſię martiæ, vel mulſæ generoſę.

Ha-

Habitatio sit ædificio lucido: æstivum flatum habentem, & hybernum Solem.

Legant clarè, post ambulent, tum pila, vel armis, vel alio genere superiores partes movẽte, se exerceant: & jejuni vinum bibant calidũ, vinum illud esto austeriusculum, & cum cibis tale: qui cibi maximam partem esto omnes assi, aromaticis pulveribus asperſi, cum quibus & certa piperis grana crassiusculè confracta edant.

Longis diebus his meridiandum ante prandium sin minus postea, & omnes potiones aqua frigida bibita includendæ.

Frigidus Siccus.

Lac cum melle, vinum meracius; cibi, ac nutrimenta calida, tam actu, quàm potentia.

Nardino, vel mastichino, venter ungendus assiduè: & bene carnosꝰ puer dormienti assiduè accubat: ut sẽper abdomine contingat, vel catellus e regione ventriculi assiduè gestetur. juscula fiant thymo, rosmarino, mentha, &c. incoctis, & piperis quod satis est asperso.

Hæc de ventriculo flectente.

Cor flectens Calidum.

Aẽr inspiratus frigidus, eatenus, dum temperetur cor ore, potius quàm naribus exceptus frigidorum cardiacorũ usus creber epithemata frigida cardiaca.

Cal.

Cal. ſic.

Aura adverſa: & cardiaca frigida: humida: ut viola, nymphææ flores, etiam temperatæ: ut bugloſſa, borago, & cardiaca epithemata frigida humida.

Calidum Humidum.

Aër Frigidus, & ſiccus, ore potius, quàm naribus inſpiratus. Cardiaca frigida, ſicca, tam ſumpta, quàm foris applicata.

Cor Frigidum flectens.

Aër calidus, cardiaca, calida, & epithemata ex iiſdem cordis regioni applicata.

Frigidum Humidum.

Aër calidus, ſiccus, cardiaca calida, ſicca: anthos, ſampſuchus, pulvis ochymi, &c.

Frigidum Siccum.

Cardiaca ſumpta, & applicata, calida humida: borago, bugloſſa, etiam calida juſculis incocta ut ſampſuchus, citrago, &c.

Hæc de corde flectente.

Pulmo flectens.

Convenit cum corde

Flectente Aëris qualitatibus.

Pulmo ſi frigidus ſit, vox exercenda, & multum vociferandum; maximè, ſi humidus item ſit,

sit, & pectus totum, oleo, vel unguine calefaciente fricandum. ut costino, amigdalino amaro, vel dulci, croco, admisto &c. si calidus sit, resistendum unguentis refrigerantibus, & oleis: ut rosaceo, violaceo, nenupharino, &c.

Iecur deflectens ad calidum.

Refrigerantia liquida, & epithemata maximè ex hepaticis e regione admota.

Calidum Humidum.

Epithemata ex rosis, santalis, plantagine, violis, rosarum stillatitia &c. Usus creber cichori, endiviæ, cremoris hordei, oxalidis, seri lactis. Vere, sanguis ex vena hepatica vacuetur pro usu ac viribus indigentis. His alæ graues odore esse solent: quod si molestum sit, radicem scolymi bibant, in vino coctam, & aluminis liquidi partibus duabus & myrrhæ parte una dissolutis alæ ungendæ: vel aluminis liquidi drach. 8. amomi, myrrhę, spicæ nardi, cum drach. 4. vino tritis.

Calidum Siccum.

Decocta plantaginis, portulacæ, atriplicis, lichenis: & hæc ipsa, iusculis incocta: Iuscula crebra, ex animalium partibus nervosis, & membraneis confecta: fomenta, & vnctiones frigidę humidæ. Incubatio in latus sinistrum,

dum

dum dormiunt.

Frigidum Humidum.

Agrimonia, ſtęches herbę capillares, ſcabioſa cibis incocta, & inde juſcula. piper in tenuem pulverem quaſſatum cum opſoniis, mulſa ſalis meraca: inunctiones, & epithemata ex calidis, & ſiccis, ſympatheticis plurimis.

Frigidum Siccum.

Vinum ſatis generoſum; juſcula crebra: & his incocta thymus, mentha, roſmarinus, ſampſuchus, &c. zinzibere item pauco aſperſo, ſi opus eſt.

Lactis recentis potus, per ſe & longè ab aliis cibis: unctiones, epithemata, calida humida ex ſympatheticis maximè incubatio in latus dextrum.

Hæc de jecore flectente.

Lieni eadem conveniunt quæ jecori, cui propria tamen ſympathetica ſunt plurimùm applicanda, ſumendaq;. ut cal. lupulus, ſcolopendrium, cortex tamariſci, cappares &c. Frigid. viola, bugloſſa, borago, ſuccus malorum fragrātium &c. eaque frigida & ſicca.

Renes Calidi.

E regione renum, veſtimenta minus denſa ſint: decubitus ſupinus vitetur, & ſtratum molle:

molle: dorso, rosæ recentes, vel vetustæ aceto rosaceo maceratæ dormituris substernãtur, vel violę, salicis folia, vitis frondes & capreoli.

Calid. Humid.

Frigefacientia sicca eligantur, & applicentur.

Calid. Sicc.

Frigida, Humida, his applicanda: & substernenda: & plumbi lamellas tenues, & perforatas, hydrargyroq; oblitas gestare his utile.

Frigidi Renes.

Hi calefaciendi unguentis, & fomentis, calidis humidis, item, si sicci siccus, sin ad humidum flectant.

Testes flectentes.

Eadem applicanda quæ renibus flectentibus: qui si ad frigidum flectant, redduntur ad coitum impotentes: propterea pingui ungendi frequenter: cui pyrethri, aut herbæ pediculariæ aliquid adjectum sit: aut seminis vrticæ; & ante venerẽ, his prębibendum aut satyrion, aut erucam, aut piper, aut medicamentum diasatyrion dictum: infernas corporis partes exerceant: & oleum euphorbii affricent inguini, & naturalibus: & in cibis sumant cicer, fabas, bulbos, pastinacam, horminum, con-

conchilia omnia, ſquillas, pollypodes, oſtrea, cum pipere, paſſeres, perdices, coturnices, porphyriones.

Uterus flectens ad cal.

Inſeſſus, fomenta, & unctiones frigefacientes: etiam humiditate & ſiccitate pugnantes ſi opus eſt.

Ad Frigidum.

Inſeſſus, unctiones, epithemata: etiam in nuptis peſſus. omnia calefacientia, maximè ex proprietate ſubſtantiæ hyſtericis.

Ad Frigidum Humidum.

Artemiſſia, matricaria, laurus, ſampſuchus, nepeta, pulegium, &c.

Ad Frigidum Siccum.

Eadem ſimplicia incocta; atque oleo, & mucilagine lini, ſeminis fænigręci, &c. & pinguibus admiſtis.

Ad articulos imbecilles & arthritidi obnoxios.

Vita ſobria eſto, & abſtemia: imprimis venus fugienda. Quidam toto anno a vino, potuque generoſo, ac venere abſtinentes, totius vitę ſecuritatem ſibi fecerunt.

Equitare podagræ opportunis alienum: &

ſi

si senes sint, crura motibus exercere: quin potius his exercendæ partes superiores.

Convenit ex intervallo, vomitus, atq; alvi subductio, & nisi quid impediat, phlebotomia, per initia & veris initio: horum aliqua, vel omnia, nisi vita admodum sobria sit.

Vomendum autem ex vario cibi genere, copioso, pingui, acri, dulci, ex vetustis salsamentis, oleribus acribus: raphano, cepa, allio, porro, eruca, quæ omnia crassiusculè mansa diglutienda, & vinum dulce superbibendum satis copiosè. & mora trium horarum interposita, aqua tepida cum melle satis largiter pota, digito, vel penna gutturi inserta, & prius oleo irino uncta, vomere conandum: atq; toties vomendum, ex aqua tepida, dum ea sola exierit.

A vomitu, os vino vetere abluendum, & dentes proluendi: & per loca aprica ambulandum: deinde quiescendum. Noctu verò panem cum vino oligophono vel potione diluta cœnatus, somnus captandus. Postridie, sobriè comedendum: atq; nimium frigidis abstinendum.

Si ob arthritici naturam, vomitus haud conveniat, mensibus singulis, vel majore intervallo ex pilulis hermodactyleis purgandum.

Articuli frequenter fricentur ex oleis astringentibus, & quibus galla immatura, nuces cupressi, cupulę glandium, verbasci flores, enula campana, & chamæpitys, incoxerint: adjecto sale, & alumine: & pellis canina, aut vulpina

ex

ex eiſdem, arte coriaria præparata, & bene macerata, geſtetur.

Iſchiæ ſi metus ſit clyſtere acri alvus irritanda ex intervallo, & aſſiduum ſedile fugiendum.

Hactenus de prophylactica vbi pars aliqua flectat; ſequitur vbi totum corpus flectit.

Totius corporis ad calidum humidum flectentis correctio.

Laboribus his incumbendum, ac ſtudiis: motus veloces: ſudores: Somni jejuni, & a matutinis deambulationibus.

Calida balnea jejunia plurima: Cœna contenti eſſe poterunt: vigiliæ, ſtratum durum, venus multa.

Nutrimentum: carnes aſſę, & piſces ſale, aceto, ac muria cõditi: carnes animalium robuſtorum. Suis ſylveſtris, bovis, leporis, cuniculi vetuſti, Cicurium, ſilveſtria; agreſtia omnia: crudivora: ſylvarum materie paſta: nec voracia. fœnivora: frugivora: ſanguinea: parcibiba: vigentia: maſcula: nigra: ex locis ſiccis, inaquoſis, æſtuoſis, petita. volucrium genus: palũbis, columbæ, perdicis, galli, turtures, volucres ſeminileges. Ex piſcibus; draco, ſcorpius, callionymus, cuculus, glaucus, perca, thryſſa, conchiliorum omne genus, ſalſamenta: maximè marina, mox fluviatilia, tum paluſtria. ex ſalſa-

ſamentis, percæ ſicciſſimæ. Panis ex tota farina, clibano coctus, & ſubcinericeus: hordei polentæ; ac farinæ vetuſtæ, holera aceto cocta.

Potio; vinum auſterum, nigrum, vel cereviſa ateſcens.

Aedes ad ſeptentrionem: loco edito.

Veſtes tenues, & raræ.

Hos juvat ſub veris finem, ſanguinẽ deplere: pro redundantiæ modo, ac viribus indigentis.

Cal. Siccum.

Vehementibus abſtineant tam animi, quàm corporis motibus: hilariter degant: umbratilem vitam ſectentur: & lentis motibus gaudeant: Exerceant ſe parcè, pane prius ſumpto: eoque in corpus ante exercitationem initam digeſto. Si vehementer calidi & ſicci ſint, exercitatione abſtinendum. & ambulatio matutina multa, & balneum tepentis aquę jejunum, exercitationis loco eſſe poterunt.

Si valdè ſicci ſunt, etiam ſecundum cibum balneum ingredi juvabit, item ſecundum cibum ſomnus, & a prandio brevem ſomnium captare cõvenit: & fricari interdum ex aqua, & oleo his utile. a cœna ſurgant tantùm. ſomno indulgeant liberali, ſtrato molliuſculo. Venus rara.

Alimenta ſint conſiſtentia molli, interdum

actu frigida: & ex his piſces, & piſcium capita, ac ventres, ex carnibus: domeſtica, herbivora, multibiba, tenella, exanguia, fœmella, caſtrata, alba, nuda, minus exercitata, ex locis humidis, nec æſtuoſis petita. Juſcula crebra, cibi pauci, & frequentes. Suum petunculi, articuli, roſtra, alæ, & partes omnes extremæ. Succorum acidorum intinctus.

Panis hordeaceus, vel avenaceus, aut ex veteſtis farinis. maza oxygala. fructus cum aliis cibis.

Lac tenuiſſimum, olera inſipida, acida.

Potus dilutus, & ſatis largus, etiam frigida potatio interdum.

Aedes ad Aquilonem, & occidentem: loco humili, & depreſſo etiam fluviis vicino.

His convenit purgatio, maximè æſtatis intio, ex cholagogo, & æſtate media vomitum irritare: radicum raphani ſucco epoto ʒiii ex oxymelite: vel ſeminum ʒſ ex hordei decocto: ſi ad vomendum ſit aptus: id eſt, nec collo longo ſit, nec anguſto, nec ſcapulis alarū inſtar extantibus, nec thorace anguſto: tum namq; purgare foret tutius per ſedem.

Deflectens ad Frigidum Humidum.

Matutinæ deambulationes multæ, ac labores multi.

Balneum calidius, frictio ex oleo chamamelino

fino, anethyno, &c. Sudores: Somnus a matutina deambulatione: Cœna contenti sint tantùm: & a cœna deambulatio: sitientes dormiant: deãbulatio acuta: ab exercitatione a cœna tarda, in tepore: nocturna itinera. Purum se frigori exhibeat frigidus, humidus, prẽterquam a cibis, & exercitationibus. Sol. Ignis. Coitus. Somni longi, jejuni: item vigiliæ jejunę: & stratum durum horum corpore emendant.

Nutrimentum calîdum, carnes succi boni, etiam vino conditæ, & sale. suis sylvestris caro, omne volucrum genus ex locis ęstuosis, & æditis: palumbis, columbæ, perdicis, Galli, turturis, seminileges omnes, sylvestria omnia, parcibiba, exercitata, vigentia, pisces sicci, draco, scorpius callionymus, perca, &c. Frixa, tosta, assa potius quàm elixa: & pipere, vel gariophyllis & vino aspersa, piscium partes supernæ, & caudæ proximæ. Conchilia omnia; Salsamenta. panis purus, & bene fermentatus, & sale conditus: Sorbitiones nullæ: & si quę sint, incoquãtur thymus, rosmarinus, salvia &c. Potiones parcę, & meracę: vina generosa, & vetusta.

Olera acria: allium, cepa, porrum, &c.

Eedes ad Orientem.

Vestes vulpinis pellibus fuffarctæ.

Hii purgandi phlegmagogo; Autumno, aut veris initio, vel vomitu si ad vomitum apti sint, & humor pituitosus eo obrepserit. vomitus, ex

raphano, vel juglandis julis citetur etiam bis menſe, per Hyemem totam, duobus diebus continuis.

* *Deflectens ad frigidum Siccum.*

Exercitatio modica, labores ſenſim adhibiti: leniter calefacientes: citra ſudorē balnea calida: & a cibo vnctiones, & frictiones ex oleo, viſceribus vitatis. Somnus prolixus, ſtrato molli, itē a cibo: umbra tepens, ocium, morā in lecto multa, venus nulla. vita læta, & hilaris.

Alimenta mollia, coctu facilia, domeſtica, nec crudivora, nec voracia, Herbivora, haud frugivora, multibiba, tenella, minimè exercitata: ex locis depreſſis. piſces cartilaginoſi vino, & aromate conditi. anſerum carnes, anatis, & paluſtrium reliquorum: prius pulticula, ex lacte aliquandiu nutritorum. Piſcium capita, ac ventres, & ex his molliſſimi carne, & ſaxatiles. Nutrimentum omne actu calidum, ſæpius ſumptum, juſcula crebra: Lac aſininum, & caprinum, cum melle. Ex oleribus, rapum; ex fructibus, ficus virides, botri uvarum, paſſulę, pira matura, vinum ſatis generoſum, ætatis medię, tenue & diureticum.

AEdes, ad Auſtrum.

Veſtimenta ſatis denſa, & corpori proxima, per frigora, oleo calefaciente delibuta.

Sub

Sub Autumnum, hii ex melanagogo purgandi sunt; leuiter, & ex intervallo.

Hactenus de prophilactica flectentis secundum Crasin; sequitur secundum Conformationem.

Estque ad nimis raros corpore, vel densos; reliquus conformationis flexus, quoad fieri queat jam recens nato puero ab obstetrice, ac deinceps a nutrice dirigendus.

Rari corpore, vestibus se bene muniant, ex densa textura, vel pellibus, nec nisi uncti in frigus prodeant. hos juvat balneum bene calidum, & cubile durum: & frictio dura: manu oleo myrtino, vel rosaceo delibuta.

Rari corpore cùm ferè graciles esse solent, si impediat (hos namque tabes, dejectiones, destillationes, item viscerum, atque laterum dolores fatigare solent) conandum ut impleantur vino crasso, ac dulci: cibis crassi succi, pro natura, ac robore corporis. Exercitatio esto breuis, nec celer, & frictio mediocris ad carinum tumorem, nec ultera. His etiam commodum erit pice diebus tribus, quatuórve, interpositis oblini. Porro gracili ante balneum, jejuno, corpus infricandum leviter linteis, donec rubescat: deinde, manu, frictione dura, non tamen multa.

Balneum sit aquarū dulcium, in quibus nec sudēt, nec diutius immorētur. & a tepida exeun-

tes, in frigidam ingrediantur.

Corpore denſi.

His convenit balneum temperatum, ex herbis aperientibus, & mollientibus conflatū: chamæmelo, nepeta, malva, pulegio &c.

Exercitatio ſatis valida, & ex oleo anethino vel calefaciente, & attenuante alio, inunctio; & frictio molliuſcula.

Denſi corpore obeſi eſſe ſolent, & obſtructionibus opportuni.

Obeſi plerunq; acutis morbis capiuntur: & difficultate ſpirandi ſtrangulantur: ſubitóq; ſæpe moriuntur.

Denſi, victu attenuante ad mediocritatem perducendi: pane furfuraceo, ſale multo, cum cibis, capparibus frequentibus, & vini albi ac tenuis, vel cereviſię ſimilis potione. Ex cibis, conveniunt piſces ſaxatiles, ac alii molli carne, friabili, ac alba pręditi. Ex avibus, aviculæ montanæ, paſſeres, turdi, merulæ, perdices, aviculæ turricolæ, & in vineis degentes, columbi agreſtes, & ex eodem genere agreſtia omnia, potius quàm domeſtica. Panis hordeaceus. Ex oleribus, acria: ut eruca, naſturtium, &c.

Cibus non ſtatim a balneo his dandus, ſed prius ſomnus indicendus: & ab exercitatione, ac labore, ſomnus jejunus, & balneis injiciantur ſal, alumen, ſulphur &c. & frictionibus jejunis his ſtudendum, ſiccis linteis, craſſioribus, atque

que duris, frictione item dura, ac multa ex oleo digerente manibus unctis, anethino, chamæmelino, coſtino, & ſale, ac nitro corpus frequenter fricetur. Cibi minus ſumantur quàm pro exercitiorum ratione. inſolatus his confert, & ſemel in die (id eſt) prandio, cibum ſumere: & interdum piper bibant jejunius cum decocto radicum ac ſeminum apii, feniculi, aniſi &c.

Cùm obſtructionum metus ſit, utantur ſalſamentis, & oxymelitis potione: & ſi a iecore metus, ſit agrimonia, aſparagus, plantago, capillares, uſurpentur: radies feniculi & apij &c. Si lien: cappares, cortices radicum capparum, cortices tamariſſi, & ipſa tamariſſi coma, &cætera iecori ſympathetica.

Si Pulmo, innula, paſſulæ, caricæ, ficus, pulmonaria, angelica, &c. huic ſympathetica, uſurpanda.

Si renes, radices apii, feniculi, petroſelini, aſparagi, eryngii ruſci, &cętera renes deobſtruentia omnia. vino albo macerata, vel leviter incocta.

Hactenus de prophylactica ſanitatis nimium ſlectentis; ſequitur quæ diætæ erroribus debetur: éſtque (ſecundum diæta partes,) vel geſtorum, vel fomentorum. Atque ex geſtis, primùm erroribus quæ circa motus ſui ipſius tantùm gratia ſuſcipiuntur: deinceps de cæteris.

Ad alvum astrictam.

Alvus si astricta est, solicitanda arte: videlicet terebinthina olivæ magnitudine deglutita cum saccharo: cæterùm astrictam juvabunt ova sorbilia, cochlearum jus cum beta, ac malva, serum lactis, cum sale, aut melle, ad tres heminas: item herbæ mercurialis decoctum juvabit & glande interdum naturam irritare, ex melle, & sale tosto, vel ex ficu cum nitro.

Pueris, & infantulis: betę, vel malvæ, vel mercurialis cauliculus satis erit, hæc nisi prosint, clystere tentandum (non tamen continuè ne natura spontaneæ excretionis obliviscatur) ex decocto caricarum, betę, malvæ, quantitas ad corporis magnitudinem comparata, cum melle, ac oleo. vel oleum per se ad heminę dimiduum injiciendum. omnia tepida.

Ad alvum fluentem.

Alvus si nimium fluxerit, ut molesta sit, & imbecillius inde corpus euadat, sistenda. Lacte bubulo, recenti, ad tertias cocto, ac sumpto: vel lacte candentibus chalybis laminis injectis cocto, vel eodem è maris littore calculis candẽtibus extinctis: aut quarta aquæ parte ad lac injecta, atque ita lacte ipso ad dimiduum cocto.

Item sacculus salis tosti ad ventrem applicatus, & ad dorsum hordei tosti alvo profluenti proderunt. Hæc si parũ successerint, in sessus fiant,

ant, ex herbis astringentibus, vel alia astringente materia: polygonato, galla, quercus, foliis, bistortæ radicibus, alumine, &c.

Fercula ex oriza, sorba, mespilla, malacydonia ante alios cibos sumpta, vel pulvis baccharum oxyacanthę cibis aspersus, &c.

Urina nisi fluxerit satis, smyrnii, apii, fæniculi, ruscі radicibus decoctis, & horum jusculo sumpto, hausto, satis largo, jejuno, proliciendа.

Exercitationem, vel laborem, si defatigatio consequatur: refovendum corpus, ac recreandum: atque ubi quis insuetus laboraverit, aut multò plus quàm solet etiam assuetus, huic jejuno dormiendum est: multò magis si os amarum, & caligent oculi, & perturbatur venter. tum, non tantùm dormiendum jejuno, sed in posterum diem permanendum, nisi citò id quies sustulerit, quod si factum sit, surgere oportet & leviter ambulare.

Levat item lassitudinem, interdum laboris mutatio: insueti, consueto: & cum hesternis pares hodiè vel paulo minores exercitationes adhibere convenit.

Qui ambulando defatigatur, hunc reficit in ipso itinere frequens frictio; atque post iter, primùm sedile; deinde unctio: tum aqua calida in balneo, magis superiores partes quã inferiores fovẽdo: atq; quo proficiscens minus lędatur: profectio ipsa ita suscipiẽda: inũctus proficiscẽs

nec

nec fortiter incedat, & per æſtatem faſcia mollis, digitos ſex, aut ſeptem lata, quinque autem cubitos nec minus longa, lumbos ad ilia uſque complexa, obvinciatur, & baculo innitatur. Cúmque ab itinere ceſſatio fit; poſt unctionem, paululum cibi æſtivi, potióque modica ſatis erunt: atque a prandio, antequam iter arripiatur conquieſcendum eſt: ſi verò abeundi neceſſitas fuerit, & ſitis urgeat, tenuis polenta ex aqua cum ſalis momento bibatur, & corpus a ſole bene tegatur.

Hyeme ſi profectio ſuſcipitur, unctione prius adhibita ex oleo calefaciente, hyemales cibi copioſe ſumendi, & potio modica. cęterum faſcia longior eſto, quā ęſtate, non ſolùm lumbos, ſed & ſpinā, & pectus etiam complexa. requieſcenti autem, (ſi vehemens interea frigus urat) neq; ungi, neq; cibum potúmve aſſumere prę-ſtat, neque alio quodam modo refici, ſi manſurus ibi ſis: & ad hoſpitium veniens, cavendus ad ignem ſubitus acceſſus, ſed primùm deambulet in loco egelido, & manus fricet, ut ſenſim corpus calefiat.

Equitantes præter prædictas partes, validè ventrem inferiorem, & inguina apprehendant faſcia: & in anteriore ſedis parte, pulvinar apponant cui invitantur, ad firmandum brachia, & manus.

Secundum longas profectiones, alióſque validos labores, etſi laſſitudinem quis non ſenti-

at,

at,haud aliter quàm si lassus esset,curetur.

Atque labores,si corpore inani susci piantur, minus lædunt.

Qui navigat, & nauseâ premitur,si multum bilis evomuerit,vel abstinere a cibo debet, vel paululum sumere. Si pituitam acidam effudit, cibum consueto leviorem sumat,sin absque vomitu nauseet tantùm, vel abstineat : vel a cibo vomat:& a vomitu,panis vino aquoso,& odoro maceratus ingerendus, & naribus grati odoris admovenda,inter quę acetum rosaceum,& stillatitia rosarum mirificè recreabunt.

Si cui ex vocis contentione raucitas oboriatur, arteria glycyrrhiza, & potatiuncula dulci recreanda.Sin verò loquendo fessis, defatigatio sequatur, succurrendum vociferatione. Qui vociferaturus est,debet cùm alvũ dejecerit fricari leniter,ac præcipuè partes inferiores : faciémq; spongia madefacere,aut abluere , & prius sensim loqui,ac per intervalla mediocria & vociferando memoriter dicat, quorum meminerit, quæque multas habere lenitatis, & asperitatis mutationes videantur. In primis autem vociferandum est,vocem quàm gravissimis fieri potest tonis producendo:tum ad acutissimos eandem redigendo,deinde cùm non multũ in acuto sono permansũ sit, retro vicissim paulatim reflectendum, vocem diminuendo, donec ad gravissimam , a qua ductum initium est,revertatur.

Mo-

Modus vociferationis esto pro viribus, animi alacritate, & vociferantis consuetudine.

Si quis tempore æstivo, ex labore æstuat, & defatigatur, ita ut corpus siccius, & calidissimum evadat, is fructibus vesci debet: pomis, prunis, cerasis, persicis, cucumere, pepone, &c. atque a balneo aqua primùm detur potui, deinde vinum modicè dilutum, tum vomitus citetur, pòst offerenda lactuca, deinde pedes suilli probè cocti, ex aceto & garo, tum gallorum, atque anserum ventres, atque piscis aliquis carnis tenerę, in sartagine coctus. gustet, etiam si velit olera haud mali succi, & cucurbitam. his transactis, vinum aqua frigida valdè dilutum bibat.

Qui vitam ex instituto suo degat, si ab exercitatione æstuet, aquam frigidam fontanam potet.

Qui exercitatione, & balneis a cibo lęduntur, hii ambulare debent ante cibum, contentione aliquantulum majore, a cibo tardissimè & jecori ne obstruatur oxymelite consulendum, & omnibus attenuantibus utendum, dum mali metus cessaverit.

Ubi quis vehementer lassus fuerit, motibus moderatis moveatur, ac tardis: & quies frequens interponenda; qua quiete, lassus oleo dulci, atq; copioso est fricandus, pluribus contrectantibus; ac deinceps cibus solito parcior esto, & nutrimenti facilis.

Las-

Lassitudo duplex est, vel musculis puris: vel inquinatis. Musculis puris, lassitudinis sensus tensivus esse solet.

Lassum tensivo, juvat pauca, & mollis, ex oleo egelido frictio, cum somno, & quiete: aut lotio medii temperamenti, atque in calida plusscula mora, bis vel ter lavando, ac pòst inungi debet antequam vestiatur, etiam die postero cùm e lecto surgat.

Inquinatis musculis: est ulcerosa, vel phlegmonosa. Ulcerosa accidit malis succis, & acribus præditis: succedit recentibus cruditatibus, cùm aut exercentur immoderatius, aut in sole sunt morati: etiam salubri corpori accidit si multò nimis se exercuerit.

Juvat hos frictio mollis multa, & plus frictionis, quibus sub cute tantùm: motuum plus, quibus profundius in musculis sentitur lassitudo. Alantur uberius tensivis, & nutrimento solito humidiore.

Phlegmonosa, ex vehementibus motibus nascitur: & eos maximè invadit, qui exercitationibus minus sunt assueti.

Cura: oleū tepidū, cum frictione mollissima, & longissima: in medii tēperamenti aquis mora; & si aqua paulò tepidior fuerit, juverit magis: multa quies, nutrimentū humidissimū, & refrigerans, parcius quàm in reliquis: his etiā sanguis vacuari salubriter poterit. usu cū viribus collato

Hæc de lassitudine.

Sin

Sin verò labor tantus ſit, ut corpus inaniatur,& ſqualidius multò evadat; eſt obſtandum arte majore.

Hujus inanitionis gradus ſunt duo. Signa communia ſunt: horrores a deambulationibus matutinis, & exercitiis,capitis una gravedo.

Cura: communis: calida lavari,molliter cubare, laboribus, & ambulationibus moderari; ungi,& fricari modicè; cibus copioſior eſto,ſolito humectior, & ſucci boni; & ſenſim appoſitus: potus mollis.

Primi gradus inanitionis ac levioris cura.

Unctio,& frictiones ante prandium adhibeantur,& die primo largius ſolito prandeant & vini mollis quod ſatis eſt bibant: & a prandio, ſomno utantur moderato: ad veſperam,ubi exercitiis levibus uſi ſint, & calida loti fuerint, cœnent more conſueto,atque a cœna ambulationibus abſtineant, ſed aliquanto poſt tempore decumbant. Poſtridiè in aqua laventur,& ſomnis mollibus tempus tranſigant,& deinceps ad diem quintum, ad cibos & labores conſuetos reducantur.

Gradus alter inanitionis.

Signa. Ab exercitio mox,poſtquam corpus refrigeratur, horret: & ſtridor dentes, tremórque corpus occupat; ſomnóque gravantur; & ex-

expergefacti, sæpè offitant; a cœna item palpebrę ipsis graves fiunt.

Cura.

Exercitationum dimidium auferatur, (cibis interea magis refrigerantibus atque humectantibus quàm in priore) ad dies quinque, & die sexto, tertia pars laborum ablatorum apponatur, post alios quinque dies, dimidium reliquorum laborum, id est, una tertia restituatur, & post quinque alios, rursus ad consuetos labores redeant. qui tamen solito leviores sint.

In balneo si quis æstuet, hunc acetum reficit, ore retentum, vel aceti penuria aqua frigida.

Qui otiosam vitam degunt, boni succi cibis utantur, & concoctu facilibus: nec tamen valdè nutrientibus, & alvi subductio diligenter curanda, & urinæ prolexio: & frictiones jejunæ moderatę manibus attenuante oleo quopiam deliburis: potio tenuis sit, ac diluta: Venus his utilis.

Qui toto die sedit, nihil huic currendum, sed lentè ambulandum est, lenta quoque in balneo mora, deinde cœna exigua huic prodest. Qui ex segniore vita, ad exercitationes se traducere volunt: & ad balnea: vacuentur prius veris initio sanguinis detractione, vel venæ sectione, vel malleolis scarificatis: quod si recusent, medicamento vacuandi sunt, quod & flavam bilem, & pituitam, & serosos humores de-

trahere queat.

Si cui fatigatio ex animi motibus, ac laboribus contigerit: (objecto mutato) alio animus ac ſenſus recipiantur, in quo haud ita laboret; ac tum modus etiam teneatur.

Si interna meditatio, & contentio ſit; a difficilibus, ad faciliora, atque jocunda.

Si externorum ſenſuum defatigatio ſit, ab extremis objectis, ad media ſenſus traducantur; atque ſi vehementer laboraverint, imperanda omnimoda ceſſatio, ſomnóque ſi opus eſt indulgendum.

Tum ſi viſus ab objecto nimis excellenti offendatur, prorſus adverſus color eſt adhibendus: ut ſi ex ſolis ſplendore lædatur, niger adhibeatur. Reficiuntur autem oculi colore cæruleo, ac fuſco: & ſuperficie politis, & pellucidis: ut ſpeculis, aqua profluenti, &c.

Perturbationes oculorum a fumo factas, vel ardore, vel pulvere, (mali cauſis externis prius vitatis) oculi aqua dulci tepida laventur primùm, tum frigida: ſplendorem averſentur, & oculos claudant, & ſi neceſſe eſt, victu ſolito parciore interea utantur.

Guſtui amici ſapores ſunt, ex ſuccis dulcibus, ac pinguibus. ſin verò guſtus ex aliquo offendatur, maximè pingues ſapores conveniunt.

Dentium ſtupori ex alimentis, vel alio quolibet orto, portulaca manſa medebitur.

Thymoſes in tẽpore ſunt alio traducẽdę: ſenſim,

ſim, idque per media, maximè quæ corpus graviter procellunt: ut amor, ira, triſtitia, &c.

Amore præter modum capti, oculis tandem cavi fiunt, nec tamen lachrymantur, verùm apparent veluti voluptate repleti: palpebræ ipſis frequenter moventur; & cùm reliquæ corporis partes non collabuntur, ſoli oculi his contrahuntur, & concidunt. Pulſus (ubi vel audiunt vel vident amaſium) ſubitò turbantur; nec æqualitatem, nec ordinem ſervant: triſtes ſunt, & pervigiles.

Cura: hii ad balnea moderata, vini potionem, geſtationéſque, ac ſpectacula, & ad fabulas audiendas animis ſunt abducendi; interdum objurgandi, & minis terror his incutiendus, & contentiones adverſus aliquos excitandę, & ad alias curas ratio tranſferenda.

Amaſium, quovis modo in odium pertrahendum; & ipſe amore captus in omnem amœnitatem perducendus, & alio amorem flectere tentandum.

Ira in aliquibus veneris uſu mitigatur, eodémque in aliis triſtitia.

Præter modũ triſtes vinũ bibant, boraginatum, bugloſſatũ, & in quo citrago, & radices gei maduerint: & muſicæ aliquo genere permulceantur.

Qui intemperanter venere abuſi ſunt.

Hi denſandi, calefaciendi, humectandi, con-

firmandi ſunt; ac primùm veſtimentis operti conquieſcant: ſomnoque ſatis indulgeant, donec corporis contentio ſubſederit; atque pòſt, cibus liquidus ſit, & facilis coctu, & ſucci boni. potus aliquanto meracior, & cibus ſolito parcior, dum ſe recolligerint.

Si quis a prandio ad res venereas irritetur, quieſcere oportet, donec cibus reſideat: ſin autem a cœna, neceſſe eſt paululũ ante dormire. Error circa res venereas, minor eſt in calefacto, quàm refrigerato; in pleno, quàm in vacuo; in humido, quàm in ſiccato.

Menſtrua ſi reſtiterint, tempore naturali, in ſeſſibus, fomentis, ac potionibus, ex matricaria, nepeta, pulegio, malvis, artemiſia proliciantur. Et conſervæ florum boraginis ʒvj. vel ʒj. exhauſtu ſatis largo vini albi calefacti, ventre jejuno.

Si nuptæ ſint, in ſinum inſerendum rutam, cum melle tritam; aut porri ſuccum, aut leporis coagulum ſubjiciendum.

Exercendum autem his ſecundum partes inferiores, & frictiones cruribus adhibendæ, & per arenam, vel terram mollem, ambulandum, & lacænarum mulierum more ad nates ſaltandum, atque ſi opus eſt, malleoli, vel incidendi, vel poplites.

Si nimis fluxerint, inſeſſibus, potionibus, &c. aſtringentibus, utendum: & quiete, & patrium ſuperiorum frictionibus.

Geſta-

Geſtationis Prophylactica.

Prægnans ſi pica laboret, omphacomeli bibat, & portulacæ cremorem, & ipſam portulacam in cibo ſumat. item cucumeris ſemen decorticatum ex aqua.

Sin verò ſtomachus ex acri, acido, aut ſalſo humore mordeat: ex aqua calida copioſe hauſta vomendum: & vinum fulvum, odoratum, antiquum, aſtringens, bibat.

Potus eſto moderatus, & præcordia ſtomachico unguine fricentur: & molli lana contegantur.

Pedes ſi fortè his tumuerint, malorum citriorum decoctis laventur: & braſſicæ folia imponantur: & obligentur: vel roſaceo aceto, & ſale fricentur ſæpiuſculè.

Quinetiam ſi prægnans humentes valde locos habuerit, & ad humidum præter modum flectens, retentricem uteri vini imbecillem habeat: herenacei terreſtris pellem uſtam, ex aqua, aut vino, ſumat: atque pudendi oſculo eundem pulverem illinat: vel myrti baccas cum vino, aut oleo lentiſcino vſurpet: atque myrti, rubi, camrubi, roſarum, & ſimilium aſtringentium, & ſiccantium decoctis, locos humentes irriget. Si auſtri, pluviæque occuparunt hyemem; ver autem, & frigidum, atque ſiccum, exiſtat: tum maximè gravidis ne abortiant cavendum.

Partus prophilact. ad difficilem partum.

Partus ſi difficilis ſit, juvanda parturiens malvarum foliis ſubſtractis, quæ protinus a partu auferēda: & dictamnus quovis modo adhibendus: & cancri fluviatiles uſti ſumendi: & oleum dulce, decoctum malvę; fœnigræci, ſeminum lini, mucilagines, infundendi: & inprimis oleum potum ſummo eſt præſidio.

Si feruor vrget, ova cruda, mucilaginibus miſceantur: atque ſi vires deficiant, pane toſto, odorato, & cucumere olfacto, vel citreis malis ſectis, & olfactis, vel deniq; juſculis analepticis recreentur.

Qui vigiliis ſqualent, & curis exhauſti ſunt, hi quieti & ſomno tradendi, leni aquæ murmure, vel alia quavis ratione conciliato: & balneis veſpertinis his utendum; vbi bene prius coxerint, & cibo humectante, & concoctu facili, vino largiore, tenui, nec vetuſto. Caput oleo roſaceo, papaverino, vel anethino, ad ſomnum, & ſpiritus componendos perfundendum. item muſica levis & ſuavis, & tanquam animum ſuſpendens his utilis.

Cibi omnes euchymi ſint, & concoctu faciles: vinum quod non admodnm corpus feriat. Poſtea (viribus recreatis) membra ſqualentia balneis humectanda: verùm his non eſt immorandum, ſed corpus, & caput leviter perfunden-

fundendum, & inde in ſolium deſcendendum; frictionibus, & unctionibus omiſſis.

Pinguedo parturientis ſi impedimento fuerit, in lectulo reſupinam figurare oportet: ut ad fœmina genua ſucclinet, inflectatque: quo vulva ad abdomen tendens, e directo oſtioli habeatur: quod digito pinguedine delibuto, illinere oportet, & ſenſim aperire.

Alvi durities ſi impediat, ſuccurrendum clyſtere, ſi veſicæ calculus, eo depulſo urina emittatur.

Si præter naturam figuratus ſit fœtus, naturalis figura reddenda: partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agendo.

Si manum, pedémve, præmiſerit; non attrahere membrum prehenſum oportet, verùm digitis humero infantis, vel coxæ affixis, rurſus in locum convenientem id quod præmiſſum eſt, diducere: & ſi firma adhæſione totius infantis, indecora fuerit figura: ſurſum prius ipſum ab uteri ore ſublime trudere, & deinde prehenſum rurſus ad os dirigere.

Si partus infixus ſit, componatur corpus ſitu contrario: ut in contrarium revolvatur: & quaſcunque partes obſtetrix oreficio propriores habuerit, (modò ea figura exire fœtus poterit) eaſdem teneat: & ſic addu-

cat: ita tamen, ut maximè caput infantis quærat, & ipsum teneat, & foris adducat. Sed si pedes propiores fuerint, ipsos teneat & adducere tentet.

Si hac arte embruon duci nequit, ad embriulciam est perfugiendum. Administratur autem hoc pacto:

Duriusculo moderatè strato jaceat parturiens: & curvatis pedibus suis, & tepefactis, spōdis etiam lecti plantis affixis, & scapulis vel ministris firmatis vel fascia ad reclinatorium alligatis, qui facturus est contra inferius paulo sedere debet: & apprehensum embriulci uncum abscondere: & digitis tepefactis, & oleo perunctis, atque in unum conductis, embriulci curvedine manus sinistra in orificium matricis injiciatur. Et tentandum, & quęrendum, in quem locum embriulcum defigat. Atque si partus in caput descendat; oculi, occipitium, & os aptissimæ partes erunt: si in latus, inter inguina, & coxas, defigi poterit: si per pedes descenderit, super pectinem rectè infigetur.

Si ex prædictis locis nullus inveniri poterit: ubicunque loco vulnerato, embriulcum infigat: & erecta manu foras ministro tradat: Et eodem modo etiam alterum immissum alteri parti infigat, quem & ministro tradat. Ita autem æquabiliter infigi debent, ut cùm

conari cœperit parturiens, æquabiliter adduci possit.

Dein jube ut leviter conari incipiat: ita ut cùm matricem perceperit ad partem inferiorem, tunc & ipsa conetur: quoties verò matrix sursum ascenderit, ne conetur. Ipse verò digitus index ceroti inunctus orificio matricis circumagatur ut illud aperiatur, & strictura solvatur, & si quid ibi corrigendum sit, idipsum corrigatur. Interea frequenter loci oleo calido, & mucilaginibus irrigandi.

Sin verò infans foras prodire aliquantulum visus fuerit partibus superioribus: iterum. Embriulci infigendi. quod tamdiu, ac toties, faciendum: dum totum corpus infantis prodierit.

Sin autem partes foras emissæ, nec embriulcum admittant: nec reliquum corpus exire sinant: vel pars infantis aliqua præter modũ grandis fuerit: aut fœtus mortuus (id quod ex frigiditate percipietur & quod nil movetur nec quid pulsent arteriæ) Embryotomia curanda, atque tum partes quæ foris sunt, primum secandæ, si intrô detrudi nullo modo queant.

Si infans hydro cephalia laboret, vulnetato occipitio humor primùm effundendus, ut vastitas succumbat. Si natura grande sit, prius est manu constringendum, vel occipitio vul-

vulnerato cerebrum effundendum.

Si autem in divexum jaceat; & humeros lateribus vulvę infixerit: & adhuc ſuper vixerit ejus jugulo ferramentum infigendum; ut effuſo abundanti ſanguine corpus fœtus attenuetur. Sin venter hydropicus ſit, & ipſe vulnerandus. Manus & pedes, etiam intus præcidimus ab articulis. Si verò magnitudine ſua caput in interiore vulvæ parte abſconſum fuerit, a gutture præciſum corpus, dextra manu adducimus.

Ex ſecto tandem fœtu, omnes partes in menſa collocandę ut nil remanſiſſe comperiatur. Hoc toto negotio perfecto, uterus oleo calente, & mucilaginibus, fovendus. & ſi ſanguis fluxerit plurimus, reſtringendus: bolo, roſarum peculis, &c.

Si a partu puerpera non ſatis purgata fuerit: ſubjice coſtum, pulegium, nepetam, ſatureiam, hyſſopum, & in cibo ſumat nepetam, porrum, cuminum, ſinapi, & olera acria, &c.

Hæc de prophylactica parte quæ geſtorum erroribus debetur; ſequitur quæ fomentorum.

Atque primùm aeris prophylactica.

Aëris

Aëris gravitas luculento foco ex suaveolentibus corrigatur, & suffitibus ædium frequentibus: vel fuga vitetur, atque (nisi pestilentia cogat maturare) a gravi in salubrem migrandi, prima æstas commodissimum tempus erit. Sin vero ex anni tempore, aër intemperatus existat: vel aliâs periculum minetur; tali prophylactica obstandum: maximè ubi corpus, cum tempestatis excessibus consentiat.

Atque Hyeme (quæ saluberrima est ut plurimùm omni vento vacans) semel in die cibus sumendus, ac multus, nisi quis valde siccum & astrictum ventrem habeat, & consueverit sæpius: tum modicum prandeat, & ipsum siccum, sine carne, sine potione sumat. Victus totus esto siccus, austerus, calefaciens, meracus, panis multus: obsonia assa, potius quàm elixa: potiones parcæ, meracæ: olera sicca, atque acria: sorbitiones parcæ admodum, vel nullæ, ac tum potio tanto parcior.

Labores multi: cursibus curvis, sensim accessione crescente: lucta in oleo, longa; & ab exercitio, deambulationes acutæ, atq; celeres: a cœna in tepore tardè, & matutinè admodum multæ, tum nocturna itinera suscipi poterũt. Cùm palæstra quis se plenè exercuerit, ac lavari velit, frigida lavet: ubi alio exercitio, calida utatur: & humidiores, ter in mẽse; sicciores, bis vomant a cibis omni generis: post vomitũ, sensim rede-

redendum ad cibum consuetum per tres dies: ac tum laboribus levioribus, ac parcioribus utendum: plurimis tamen, maximè diebus aquilonaribus: atque tum plus esse convenit: diebus austrinis labores pares; cibus, atque potus parciores; Stratum durum.

Si cui ex frigore raucitas contigerit, hanc vocis contentione arcere studeat: tussim verò inde ortam, sanat spiritus cohibitio.

Si quis nimis refrigeratus sit, decumbat locis calidioribus, perunctus oleo irino, chamæmelino, &c. pòst, ubi modicè incaluerit, piper, & myrrham, cum vino dulci, odorato, ac veteri assumat: vestibus bene tectus sit, & sudet: potus sint meraciores. Per maxima frigora iter captantes; oleo euphorbii articulis, & partibus extremis, illinantur: & vinum bene aromaticum prius hauriant: nec non aromaticum quid odorentur, atque ore contineant.

Veris Prophilactica.

Sensim ab Hyemali diæta, ad ver accedendum: ac tum labores detrahendi, & cibis mollioribus & aquosioribus utendum: & lucta cum oleo in Sole.

Deambulationes a cœna detrahendę plures: pauciores mane.

Maza pro pane offerenda: & olera cocta sumenda: & opsonia elixa assis adæquanda: & balneis utendum: & prandendum parùm, vel par-

parcius quàm hyeme: & vomitibus utendum primum quarto quoque die, deinde per longius tempus. Atque vere, alius vomitu, alius sanguine; alius alvo, vacuandus pro natura, ac necessitate.

Paulatim cibo detrahendum: ut ad æstatem acceditur: ac potio dilutior, caro elixa, atque olerum plus. venus tum tutissima.

Aestatis prophylactica.

Aestas saluberrima, cui multum favonius spirat. Eaque tempestate cibis mollibus, ac paucioribus utendum: & maza magis, quàm pane. potibus mollibus, & aquosis utendum, & pluribus: atque prandio modico, etiam jentaculo: & merenda fructibus: vel cibis frigidioribus, cuchymis, & liquidis: & fructus cum cibo.

Potu inter edendum utendum satis largo: & somnus a prandio levis, huic tempori aptus. Per diem minimè bibendum: nisi corpus siccitate laboret. olera acida, apoia, cocta. vomitio tantùm, ubi repletio coëgerit. venus admodum rara.

Laboribus, ac cursibus levibus utendum, & exercitiis: cursibus circularibus, & rectis revertentibus modicis, multo tempore. deambulatio esto in umbra: & lucta in pulvere: ac volutationes in pulvere. a cœna deambulandum non est: sed saltem surgendum. Soles vitandi,

item

item frigora, tum mane, tum veſperi, quæ a fluminibus, aut ſtagnis, aut nivibus exhalant. Hoc tempore juvenibus, bene carnoſis, & calidis, die ſereno, ſub meridiem, & oleo unctis, utile eſt totos vel mari, vel flumini inſilire, & natando ſe exercere.

Hæc ad ſolſtitium æſtivum gerenda: quo tempore, omnia ſicca adimenda, & calida: etiam panes, niſi voluptatis gratia concedantur: nam ſequenti tempore utendum mollibus, ac humidis, refrigerantibus, ac albis uſque ad æquinoctium per dies 90. quies, ac laborum diminutio.

Si quis fortaſſis ſole aduſtus ſit: locis aëri expoſitis decumbat: atque facies, manus & crura, frigida perfundantur. Si ſiti conficiatur, qui aſſueverit, frigidam aquam bibat: ſenſim hæc omnia. interea cibus eſto modicus, atque humidus. Quibus per ſoles, neceſſitas incumbit proficiſci, his caput, & corpus reliquum, a Solis radiis bene tectum ſit: & ſi oleo violaceo prius inuncti fuerint, æſtum facilius ferent. Si ex ſole valde ſqualeat, & ſiccus evadat: huic in balneum protinus eundum: perfundendumque oleo corpus, & caput, deinde in dolium bene calidum deſcendendum eſt, tum multa aqua per caput infundenda: primùm calida, deinde frigida.

Autum-

Autumni prophylactica.

Ab æquinoctio per autumnum ad hyemem lentè accedendum: quo tempore mutationes frigorum ac teporis, veſtitu craſſo vitandæ. Item in veſte tum exercendum: frictione, ac lucta, in oleo: ut ſenſim acceſsio creſcat; & deambulationes in tepore fiant, & calidis lavacris utendum.

Somni diurni detrahendi: ac cibis utendum calidioribus, ac minus humidis: & ipſis puris, & potibus nigrioribus, verùm mollioribus, non tamen aquoſis. Oleribus quàm æſtate minus. Venus parca, aut nulla, frigidę potus tum fugiendus: maximè frigus auroręac meridianus ardor cavendus: atque tunc (ut verè) vacuationum aliqua molienda. Neque ſine veſte, nec ſine calceis, prodeundum: præcipuè diebus frigidioribus. Neq; ſub Dio pernoctandum, niſi bene tectus ſis.

Cibus paulo plenior, & potus parcior. Atq; hęc prophylactica eſto: aëre elementaribus qualitatibus intemperato.

Peſtis prophylactica.

Sin autem aër venenatus peſtilentia ſit; vel immineat peſtis metus: ac fugere datur, citò ac longè, fugiendum, ac redeundum tardè: Citò ſ. quamprimùm ſigna peſtis affuturæ apparuerint: quod ex ſignis ſequentibus percipietur.

Anni

Anni tempora ſuam temperiem non ſervarunt. maximè ſi ver frigidiuſculum, ac ſiccum; æſtas pòſt, calidior, & humidior fuerit. & totus annus ſit auſtrinus, nec auſtris vehementibus, peſtis futura metuenda: item ſi a ventis omnino aër ſiluerit, aut turbidus, tenebroſuſq; magna ex parte fuerit: cumq; pluviam ſæpe minetur, nec tamen pluat: & ſi eodem die, modò frigus, modò calor alternaverint: aërq; nunc turbidus, nunc clarus exiſtit: & ſequente die mane ſol inter nebulas pulverulentus apparet: item quando æſtate a pluvia ſubitò, magna ranarum diverſicoloris copia viſitur: & numeroſa inſectorum copia ſcatet: itemque ranarum caudatarum, ſerpentum & ſimilium proles ubique occurrens. Cumque lumbrici populariter graſſentur, morbilli, & variolæ frequentes. Porrò Annonę caritas pręcedens, & abundantia ſequens, omniſque fames populariter graſſans, peſtis cauſa eſſe ſolet.

Si ſupernè aër infectus fuerit, aves relinquunt nidos, aëris color ſubluteus eſſe ſolet: & ſol ſæpè palleſcit, certę planatarum congreſſiones: ut Saturni cojunctio cum Marte, ut tradunt Aſtrologi, & cometarum ortus, aliæque impreſſiones igneæ locis imminentes his peſtem de cœlo minantur, tum montoſi abrepti; convallium habitatoribus portendunt. Adhęc ſi volucres volando intereant & altum volare ſoliti, humilius volent.

Sin

Sin verò a terra peſtis ſit; agri & fontes fumantes, gravè olent; & terræ fructus citò putreſcunt: & fungorum, atque herbarum fœtidarũ copia ſcatet: & quadrupedes maximè omniũ oves, tũ primũ intereunt: & volucres prope terrã volare ſolitæ, ſublime petunt: & in cauernis latitantia prodire ſolent: mures, ſcorpiones, talpæ atque Troglodyta reliqua.

Ab aqua ſi peſtis ſit; piſces mali odoris, atque ſaporis ſunt: & commoriuntur.

Atque his peſtis ſignis apparentibus; vel horum aliquibus, citò fugiendum: & longinqua regio ſit in quam fugias: etiam ſi fieri poteſt, altos montes infectis locis habeat oppoſitos: & loco in aſcendente & eius horoſcopo conuenientia unde fuga fit, yitentur.

Et antequã totum ſolum contaminetur, maturandum gradu lentõ, cautione ſumma, ne per loca infecta iter fiat.

Reditus tardus admodum ſit, domo prius ignibus, & ſuffitibus purgata.

Quibus verò non datur fugere, neque aër correctionem facilè admittat: ſecundum Deum, prophylacticis his fidendum.

Ac primùm purgamenta omnia vicorum, atq; ędium depurgentur: feles omnes, & canes interficiantur: & diebus ſingulis, in publico, ad veſperam, ignes accendantur, quamplurimis in locis, ex materia odorifera, pura, ſicca: ut junipero, lauro, corticibus aranciorum adjectis, ab-

ſynthio, libanotide, lavendula, ſylvia, &c.

Conventus frequentiores interdicendi, & ne quod edule putridum venale ſit curandum.

Aër vitetur nimis patens, & anguſtus nimis.

Ratò, idq; tantùm cœlo ſereno prodeundum: & ædium feneſtræ ſemper diligenter occludãtur. Aër ſi æſtuet temperandus: ſemperque ſiccandus eſt.

Qui domo egredi coguntur, haud prius exeant quàm ſol vaporem nocturnum, & nubium obſcuritatem prorſus diſcuſſerit, vitet hominũ turbam, & arctius cõſortium, præſertim ubi adhuc ſunt jejuni, nam tutius eſt ſemper pranſum domo egredi quàm jejunum, etiam optimis præſidiis munitum.

Faciem ab eis vertant quos alloquũtur, & võtum ſi quis afflaverit, a tergo accipiant.

Ædes ſint ſpecioſæ, & plurimis cubiculis inſtructę, in quę frequens fiat mutatio, dum reliqua interea ſerò, ac manè, igni ex odorata materia purgentur: maximè tempeſtate pluvia, ac nubila.

Ad ignem minimè accedendum, niſi ubi frigus viget: Aëre æſtuante parcendum igni, poſt quem accenſũ aër denuo eſt refrigerandus: & ſemper aëris qualitati excedenti (niſi ea ſiccitas eſt) reſiſtendum.

Cubicula, ædes, lecti, ac veſtimenta, materia odorifera, ac aromatica ſuffiantur: Et odoramẽta contraria tẽpeſtati vſurpentur, niſi caput grave ſit aut fluxionibus opportunum, tum his abſtinen-

ſtinendum, maximè admodum odoratis, & caput ferientibus.

Ex locis infectis allata chirothecis tractanda omnia: & ſi edendo fuerint, abluantur, excorticentur, vel etiam coquantur atq; ab infectis locis omnia diligenter cavenda.

Veſtimenta nec valde calida, nec gravia ex materia fiant ſpiſſa, textáq; preſſius, nec vitioſa: maximè ex coriis puris hircinis, & ex ſerico omnes, holoſerico excepto, itē ex camelorum pilis confecta.

Sæpius mutentur veſtimenta & ſuffiantur, præcipuè induſia, & corpori proxima, induſia lota prius, & munda ſtillatitia roſarum madefiant in qua camphoram, & ſandalum diluueris: Si tempeſtas fuerit calidior; ſin frigidior, ex materia calida: ex decocto ireos vel aqua angelicæ. &c.

Veſtibus reliquis quę madefactionē non ferunt, adhibeantur ſuffitus pro anni tempeſtate, & corporis temperamento.

Diæta reliqua in his tribus conſiſtat: ut nec calorem reddat auctiorem, nec corpus immodicè humectet, nec multùm cogat reſpirare.

Plus queiti, quàm exercitiis dandū; & exercitia vehementē & crebrā reſpirationē ne reddāt. Ambulatio lenta ſit, & loco tēperato, & igne, vel ſuffitu purgato. Si locus ſalubris ſit, ſub dio: ſin ſuſpectus, ſub tecto amplo. & maior ratio habenda loci in quo exercemur, quā in quo quieſcimus. Hora exercitio eſto matutina:

poſtquã ſol vaporem nocturnum plane diſcuſſerit.

Qui per loca infecta peregrinari coguntur, noctu ſe committant itineri, niſi plenilunium ſit.

Alimenta moderata ſint, & quantitate, & qualitate: niſi tempus, aut proprium temperamentum aliud ſuadeant.

Arida edulia ſint omnia, & locis altioribus & odoriferis nata, nonnihil item acerba vel acida, facilia coctu omnia, & euchyma.

Panis ſit ex tritico locis ſoli patentibus nato, & ſimile ad cereviſiam frumentum, ſolo non ſtercorato: horna ſint aut bima, ante peſtilentem aërem collecta.

Huic pani injiciatur hordei, aut ſpeltæ pars aliqua. optimè ſit fermentatus, & ſale conditus: furno privato coctus, & ligno puro, vel alia materia pura calefacto: & coctus biduum, iam molliuſculus edatur.

Interdum & biſcocto veſci juvabit: azyma omnia & cruſtis incocta fugienda.

Carnes ſint ex ſicciſſimis, vel arte ſiccatis, ut ſuilla ſalſa & macrior prius frixa ex aqua & vino partibus æquis, mox craticula toſta, tum inciſa, & condita: aceto, & ſaccharo, demum aſperſis. Vitulina aſſa, ex omphacio eſa Vervecina aſſa, & prius modicè ſalita. Cuniculus tenellus, lepuſculus, volucres ſi peſtis cauſa eſt ſuperior altiſſimè volantes, & nidulantes. Ubi verò

rò aër ſupernè infectus ſit, propius terram volantes,& commorantes,ut perdices,phaſiani,& aviculæ nemorales, item gallinæ juvenes, quæ ova parturiunt,& ex his nigræ : capi juvenes. Et pulli gallinácei, omnium carnes recentes ſint: hepata gallinarum,caponum,& juniorum gallorum, teſticuli : reliquorum præterea viſcera nulla. aſſa potius quàm elixa omnia, humore proprio, ac ſuo turgentia.

Aeſtate a carnibus abſtinendum niſi conſuetudo aliud ſuadeat. & etiam reliquis temporibus piſcium ſalubrium uſus eſto frequentior. Ex marinis ſaxatiles & ſquamoſi. Aſelli recentes,mulli erythrini, bugloſſi, paſſeres,rhombi, lupi, mugiles,auratæ phycides,coracini,gobiones,merulę,paguri, turdi, pſittaci, trachuri.Ex fluvialibus trutta,ſalmo, umbra,lucius, mullus barbatus, carpio, aſtacus, Ex amnibus puris. atque hi magis æſtate conueniunt, pelagii cæteris temporibus.

Hyeme aſſi aut frixi in craticula, ex pipere pauco vel cinnamomo,vel cepa, vel aceto vel omphacio comedantur.

Aeſtate elixi ex petroſelino, ſali pauco, & oxalides,vel aranciorum ſucco. Ova gallinarum recentium, ſorbilia condita agreſta vel omphacio, vel aranciorum ſucco. Ex fructibus dulcibus caricæ tantùm, ac paſſulę. Horarij corrigantur cepa, porro, pipere, croco. &c.

Sumantur fructus & holera cocta prius, ſub meridiem.

Ex fructibus acidi ſunt aptiſſimi, ut mala punica acida, vel acidodulcia, & medicorum genus omne. Calidioribus tamen, menſa prima, & ante cibum: frigidioribus menſa ſecunda; pruna acida, poma curtipendula, ſorba, meſpilla, cydonia, pira hyberna. Secundis menſis, item juglandes recentes, avellanæ, amygdala & fructus duriores, ex leguminibus, faba freſa, & pureta, ex ciceribus piſis, lentibus addita oxalide, petroſelino, croco, cinnamomo, atque cremore inceruiculo trajecto & iterum cocto.

Ex oleribus acida conveniunt maximè, vel aliquatenus amara & oxypara, ex lactuca, cichorio, endivia, oxalide, portulaca, & ſimilibus coctis, & aſperſo ſale.

Quovis anni tempore conveniunt, borago, bugloſſum, cichorium, endivia, oxalis, pinpinella parva. Olera acria hyeme; æſtate frigida humida. Sic in juſculis hyeme ſalvia, mentha, thymus, &c. Olera ter aut quater lavèntur, aqua tepediore priuſquam uſurpentur: aſparagi, & lupulus, rapus, napus paſtinaca, cepa, raphanus omnia conveniunt.

Aeſtate conveniunt juſcula glaciata tam ex pulpis carnium, quàm piſcium, condita ſaccharo: vino albo, vel aceto croco cinnamomo. ſantalis.

Capa-

Cappares ſale çonditi, & aceto prius leviter cocti olivæ, Condimenta ferè omnia acida, vel auſtera, niſi ventriculi frigiditas impediat: atque tum aromate aliquo, vel mentha corrigantur.

Pinguia vitentur omnia.

Aqua ad omnes uſus eſto ſaluberrima: ex cœleſti, ac ciſternæ puræ, ſupernè fluitans, ſi cauſa peſtis ſit inferior: ſin ſupernè advenerit çorruptio, ex puteo profundiſſimo hauriatur, aut ex amne, vel fonte.

Fontana, vel putealis, non prius hauriatur: quàm ſol radiis, atq; calore puriorem effecerit. Sin inſalubris ſit, coquatur cum pauco aceto, & hordeo: vel immiſſa panis medulla.

Purgabitur optimè, ſi chalybs, argentum, vel aurum çandens, ea frequenter extinguatur.

Vinum, ac potus omnis, eſto aquoſum, ac tenue: vinum album, vel ſubrubrum, odoriferum, modicè auſterum, niſi ſenectus, quid ve aliud meracius poſtulet. Hydromeli ad acidum vergens, cerviſia multò præſtat.

A paſtu, ſitientes, bibant ex aqua frigida ſyrupum aceto ſum ſimplicem, aut julepum roſaceum.

Potus, ac cibus, ſolito parcior ſit: & quibus eſt dejecta appetentia, condimentis excitanda.

Prandium cœna lautius eſto: cœna parca, interdum nulla jurulenta fugienda:

vel tanto parcius bibendum.

Cibus saluberrimè in tria tempora partietur vel plura; jentaculū, prandium, merendā, cœnā.

Cibus esto bene masticatus: & potu aliquanto uberior.

Si alvus astricta sit, (inter alia) catapotia alexipharmaca sumi poterunt, horula ante cœnam.

Sudor spontaneus nec inhibendus, nec provocandus.

Mane corpus manibus propriis leviter fricandum siccis, ac mundis: vel chamęmelino, &c. unctis: si corpus densum sit; sin rarum; myrtino, aqua rosacea pauca mista.

Caput consuetis, eluendum semel hebdomade, lixivio ex odoratis: libanotide, lauro, lavendula, &c.

Pedes laventur decocto rosarum, foliorum vitis, salicis, arundinis, chamæmeli, & pauco salis adjecto.

Venere rarò utendum: fortè septimo quoq; die, vel rarius, pro corporis natura.

Somnus esto satis prolixus: nocturnus: longissimus a cœna cubiculo prius suffito.

Ex pathematis, mediocris hilaritas, cum eximia animi securitate tantùm juvant.

Si sanguis redundat, vena secanda consuetis, & ferentibus: quibus non convenit, inedia, & frictio adhibenda.

Simul atque suspitio est aëris corrupti, sanguis mittatur luna plena (si fieri potest;) primum

mùm a dextro,mox a ſiniſtro. Modus ut corpus onere,& mole liberetur.

Sin corpus cocachymię particeps ſit,levibus medicamentis purgandum:& endiviæ, cichorii, fumariæ,lupuli,boraginis, ſcabioſæ,marrubii,angelicæ, tormentillæ, pentaphili (quæ item ſolutivis incoquantur) frequens uſus eſto. & partibus ſympatheticorum uſus eſto frequẽtiſſimus. & pillularum communium ut, Rec. aloes optimæ ʒ. ij.myrrhę electiſſimę ʒ. j. Croci orientatis ʒ.ſ. redacta in pulverem excipiantur ſyrupo abſynthii,vel acetoſi ſimplicis, vino albo,aqua ſcabioſæ,&c.

Sumantur in crepuſculo diei,aut noctis,ventriculo inani: ſingulis hebdomadis drach. una in novem pillulas partita; primo die una ſumatur; tertio tres; quinto quinque;vel contra.

Alvo valdè aſtrictis, clyſtere utendum: & urinæ ſecretiones fiant ex diureticis levibus: corpore puro,aut prius purgato.

Admodum cacochymicis:tibiæ,vel brachia, ferro inurantur candenti: aut ulcera cauſtico potentiali irritentur.

Cûtis ſi aſtricta ſit: corrigetur frictione, & balneis,&c.

Prętioſi lapides tum geſtentur: granatus, carbunculus amici cordi: ſmaragdus cerebro: ſapphyrus hepati: corallus,ventriculo: hyacinthus, topazius,achates,& uniones, omnes adverſus peſtem. Item cornu unicornis, vel cervi,

ſumatur frequenter.

Hydrargyrus avellanæ teſta incluſus,& collo appenſus:item arſenicum rubrum,& Chryſtallinum,miſta mucilagineq; excepta,& rubetæ pulvere admiſto,colloq; appenſa pro magnis amyletis geſtantur.

Zedoacia,angelica,cortices aranciorum, & citriorum, maſticentur frequentiſſimè: & gingivę,ac dentes,omni ſorde careant: & panno aſpero,vel dentifricio, fricentur: & paululum decocti foliorum lauri,vel corticum mali citrei, naribus hauriantur.

Sępe facies,& os, lavanda frigida, tantillo aceti admixto:olfiant mala arancia,citria,rutam, &c,& poma aromatica,& ſuaveolentia,geſtentur appenſa collo.

Cùm frigidus eſt aër,manè,panis aſſi modicum ſumatur,vino odorifero intinctum: interdum carica una, nucis juglādis minimè rancidę dimidium,folia rutæ quinq;, ſalis momentum, in bolum contuſa ſumantur. Vel pulvis hypperici pondere drachmę unius, vel ij. ex aqua bugloſſi, vel pulveris ſcordii veri tantundē.

Sin ęſtas fuerit, juvabit mica panis ſumere ſucco limonum, vel aranciorum maceratam: item oxalidis certa folia in aqua & aceto prius merſa,& pro jentaculo ſumpta.

Sin hyems ſit,theriaca ætate, à quarto ad duodecimum, adultis ʒ.j.pueris ʒ.ſ.aut d.j. ſex horis ante cibum ex ſacchari pulvere devorata,

magno

magno erit præsidio. Calidioribus tempestatibus electuaria frigida ut diatrion santalon, diasarhodon abbatis, &c. Alexiteria hæc in quotidiano usu esse debent: ut diebus singulis, manè, eorum aliquid sumatur: modò pillulę, modò theriaca; atque in noviluniis, & pleniluniis, maximè cura gerenda.

Hæc de pestilentis aëris prophylactica.

Sequitur errorum circa cibum, ac potionem.

Si quis se nimium impleverit: (quod secundum inediam præcipuè fugiendum) pro impletionis modo, vacuandus: atque si ventriculus crapula laboret, hęc ipsa est ejicienda. si recenter ingesta, evomenda; sin verò à cibo satis multum temporis elapsum fuerit, clysteribus potius est alvus irritanda, & tepidis epithematis mitiganda. si cibus corrumpatur, (quod ex nidore ructus apparet) ex vini dulcis potu, vel alia qualibet arte, pro viribus corporis vomendum.

Si ex repletione singultus oboriatur: spiritus compressio, vociferatio cum multo clamore, sternutatio, concitata deambulatio, vel triste quid inopinanti nunciatum, singultum solvēt.

Atq; cùm quis satur est, nihil ei tum agendū, & si pòst aquā frigidam parcè biberit, tum paulisper vigilet, deinde bene dormiat; multò facilius coxerit.

Si interdiu repletio fiat; post cibum, nec fri-

frigori, nec æſtui, nec labori, ſe debet committere. & ſi ſatietas ex cibis tenuis ſucci ſit, minus tædet quàm ex craſſis, & valentis materiæ.

Si puer nimis expletus fuerit, ſomniculoſior ſtatim evadet, & torpidus: venter intumeſcet: & inflabitur: & urinæ reddentur aquoſiores: atque tum ei nihil exhibendum antequã prius ingeſtos cibos conſumpſerit.

Si crapula ſit, eaque ex potu, vel potando quis exceſſerit, nihil ferè edendum ei: ſin ebrius ex eo evaſerit: continuò vomere ſtudeat, ex aqua mulſa pota largiter, dũ plurima jecerit, & morſus obtuderit. poſt vomitus ſolio utendũ cum larga unctione, reliquo verò tempore quieſcendum, ita ut ſub tegmine dormiat longiſſimo tempore, donec temulentia ſolvatur.

Ut quis adverſus ebrietatem muniatur, vel potando minus lædatur, braſſicã edat, & amygdala, & abſynthii comã ante potationes bibat: & ſi ex vino morſus percipiatur, aqua frigida bibenda eſt: & poſtridie rurſus abſynthii cremor ſumendus.

Si cui vehementer crapuloſo, & aſſidua cruditate laboranti, incubus (id eſt ſuffocationis in ſomno imaginacio, & velut ingruente aliquo oppreſſio cum exclamandi impotentia, aut vociferatione nil ſignificante) huic vena ſecanda, purganda alvus, & corpus totum vacuandum. Purgationes autem fiant cum ſenna, aut veratro nigro, vel confectione hamech. vel hiera diacolo-

colocynthidos, &c. victus tenuis sit, & flatulentorum cautio esto maxima. Cruditate diminuta, labores plus solito invalescant. His convenit & seminum pæoniæ quindecim grana nigra, cum aqua trita, assiduè bibere.

Hæc de crapula.

Sin consuetudine ingurgitandi corpore repletus, vel quòd cibus labores superaverit, quis plenitudine laboret: hæc sensim est diminuenda.

Repletio autem illa est vel secundum partes aliquas repletas, vel corpus totum.

Secundum aliquas, est vel secundum partes publicas, vel corporis habitum.

Publicas: vel secundum caput, thoracem, vẽtrem, vesicam.

Capitis repleti signa sunt: vertigo, capitis dolor, superciliorum gravitas, aures sonant: tempora saliunt: oculi mane illacrymantur, caligantque: nares oppletæ odorem non sentiunt: dentium gingivæ attolluntur.

Prophylactica: summitates hyssopi, vel origani terantur: & in ollula cum musto aut sapæ dimidio heminæ deferveant: & jusculum jejuno absorbeatur, ad os colluendum, & gargarizandum: vel sinapi mulsa dilutum calida, eodem modo gargarizet capite prius operimentis calefacto.

Thoracis repleti signa: totum corpus incipit

pit ſudare: lingua fit craſſior: ſputum ſalſum, aut amarum, aut bilioſum, exiſtit: dolor coſtas, & ſcapulas, ſine occaſione occupat. oſcitatio frequens: vigiliæ: ſuffocatio: ſitis ex ſomno: animus triſtior: pectus frigidum: brachia, & manus, tremiſcunt.

Prophylactica: vomitus poſt cœnam, ſine repletione & vomitiones ante cibum. vomiturus autem, radiculos tenues præſumat, naſturtium, erucam, ſinapi & portulacam, & mox aqua tepida ſuperbibita, contendat vomere.

Ventris repleti prophylactica. Signa.

Venter cruciatur, turbaturq;: cibus & potio amaræ videntur: genua gravantur: lumbi nequeunt flecti: crura torpent, & totum corpus ſine occaſione laborat.

Cura: venter his molliendus betis, mulſæ incoctis: alliis elixis, malva, lapatho, mercuriali herba, & ex melle confectionibus: cnici ſucco injecto ſi neceſſe eſt.

Si hepar, ac venæ ſanguine turgeant: vel vires ſanguinis copia premantur: alvus molliter prius ſubducenda: tum ſanguis pro redundantia, ſemel, vel partile, pro viribus redundantis mittendus: atque ad hoc vernum tempus eſt commodiſſimum: mox autumnale, ſi differre licet.

Si plenæ ſunt venæ, ex hæmorrhoidibus, vel menſtruis tardantibus, venę circum malleo-

los

los vel aperiendæ: vel loca illa ſcarificanda. prius ex vena hepatica ſatis copioſo ſanguine pro viribus exhauſto, anni tẽpore; repletionis modo & conſuetudine.

Si circum veſicam plenitudo gravet, pleni ex cibo modico eſſe videntur: inflationes ventris urgent: ructus, pallor totius corporis, ſomni graves, urina livida, & vix erumpens, naturalia tument. prophylactica: urinam cientibus opus eſt, videlicet, radicibus fæniculi, apii, ruſci, inaſparagi, vino albo odorato maceratis, & dilutoex his, duobus cyathis poto, mane, diebus ſingulis: vel aqua helenii, ſmyrnii, dauci, admiſta.

Hæc de plenitudine partium publicarum ejuſque prophylactica.

Sin corporis habitus tantum repleatur, exercitationes, frictiones, unctionns, balnea repletionem deplebunt.

Hactenus de particulari repletione; ſequitur corporis totius.

Si corpus totum repletum fuerit, prædicta omnia adhibenda; a ventre ſumpto initio.

Plenitudo totius eſt duplex: vel qualitatibus temperata; vel intemperata. Temperata quantitate tantùm moleſta eſt; & vacuationem tantùm poſtulat.

Tem-

Temperata duplex eſt, vel tanta ut in ventrem regurgitet; vel conſtans. Regurgitantis ſigna: Somnolentia, gravitas capitis, & palpebrarum.

Regurgitans eſt duplex: doloris immunis; vel doloris laſſi particeps.

Doloris immunis gradus habet duos: Primi gradus ſigna: nares citra manifeſtam cauſam implentur a cœna; & quamvis repletę videntur, nihil tamen emungunt, aut ſpuunt; & progreſſu temporis, palpebras graves habent; & pruritus frontem occupat, & a cibis abſtinent, & bibere minus poſſunt; & habitus tandem fit decolor: atque hæc ſigna gradus primi ſunt. Gradus ſecundi: ſomni longi, ac dulces, interdiu etiam dormiunt: poſt, ſomni accidunt injucundi; & perturbantur; & cum aliquo videndentur rixari.

Cura utriquè communis.

Exercitatum conſuetis exercitiis citra laſſitudinē, calidaq; lotū, cibis omnigenis expleto: & vomere facito: a vomitu os, & fauces unco auſtero abluant; & poſtquam quieverint, loco tepido deambulent: atque hęc die primo.

Poſtridie, deambulationibus utatur: & exercitiis reliquis detrahatur aliquid. Sin æſtas ſit, ne prandeat; reliquis anni temporibus parum quid in prandio; in cœna dimiduum conſueti cibi detrahatur.

Ter-

Tertio, & quarto, exerceat se more consueto: & alimenta sint liberaliora quàm die secundo.

Quinto vomat, & cibo utatur consueto: reliquis diebus cibus parcior; labor, atque exercitatio, copiosior; atque nisi hac arte repletio cessaverit, cum diebus duobus se largiter invitaverit, repetatur, etiam si opus est tertietur.

Gradus secundus postulat longius tempus, & famem majorem.

Sequitur doloris lassi plenitudo particeps.

Plenitudo doloris lassi particeps duplex est: vel toto corpore æquabiliter dolente, vel capite præter partes cæteras.

Cura communis.

Mollibus fomentis utendum & unctionibus, vel multa aquæ calidæ lotione: vomendum & his, & cibi sensim adhibendi, leves, ac molles: etiam matutinę deambulationes crescentes.

Cura propria æquabiliter lasso: A multis ingestis cibis, primùm acribus, deinde salsis, probè vomant: quo facto, exurgant: & modicè deambulent in tepore: Deinde dormiant. Mane sensim crescant deambulationes, & deinceps multæ sunt, & attenuatio sit multa.

Ubi caput præter cæteras partes dolet, palpebrę a cœna concidũt; & in somnis turbantur:

videntur interdum calidiores: alvus aliquando sistitur: à veneris usu statim leviores videntur sibi, postque magis gravantur.

Cura duplex. Celerior, & tardior.

Celerior: ex Veratro vomat, deinde sensim exhibendi cibi leves, molles, ac alvum moventes, ad dies decem: & cursibus tardis ac matutinis, & deambulationibus citra defatigationem utendum.

Prandeat, & a prandio somnus levis: a cœna exsurgere satis erit: venere abstineat. atque hæc celerior cura est.

Tardior quatuor ferè hebdomadis absolvitur. Prima hebdomade, ante diem septimum multa calida lotus & cibis dulcibus, ac salsis expletus, vomere contendat: statim quiescat. sequentibus diebus mane, tam deambulationes, quàm exercitia reliqua, paulatim augeantur atque etiam cibi.

Secundæ septimanæ die primo, vomat ut prius; tum quiescat, postremo sensim exerceatur; & deinceps ad quatuor septimanas sensim, & laborum & ciborum, adjectio fiat: atque tum, (expletis quatuor hebdomadis) diæta ad consuetum morem paulatim redigenda.

Sequitur repletio in ventrem regurgitans.

Hic

Hic venter gravatur: eſtque duplex. vel recepta in reliquum corpus regurgitat: vel nunquam recepta.

Receptæ ſigna ructus acidus receptę gradus ſunt duo: Primo gradu ructus acidus a cibo, color immutatus.

Secundo gradu, ructus acidus die ſequente.

Cura communis eſt vtrique, niſi quod in ſecundo gradu pluribus eſt opus exercitijs. Cura duplex: velocior; tardior. velocior fit hellebori pharmaco modo prædicto. Tardior, calida totus de primo, ſecundo vomat, ſeptimis diebus ſequentibus victu conſueto vtatur.

Tertio die vigeſimo denuo vomat, deinde cibis utatur conſuetis ad diem trigeſimum: ac niſi tum curatur, eadem ratio quarto repetatur. Curſibus utatur circularibus, paucis ac velocibus motibus parum calefacientibus, frictione copioſa ac diuturna, & poſt exercitium unctio: Deambulatio multa manè ab exercitiis reliquis & a cœna. Omnis laborioſa. balneum calidum jejunus, & cœnam expectet.

Hæc de cura plenitudinis regurgitantis admiſſa: ſequitur nunquam admiſſa.

Eſtq; duplex: in prima flatus jejunum infeſtat magis magiſq;, & a cibo meliuſcule habere videtur, ac tandem diarhææ, ac dyſenteriæ metus invadit.

Cura: die primo, ad decimũ; cibo detrahen-

dum, prandium intermittendo, & cœnæ partem tertiam demendo. labores augendi, curſus, lucta, deambulatio antè exercitia reliqua mane, & pòſt exercitia gymnaſtica.

Die decimo, ad decimum quartum: dimidium cibi in cœna ablati, addatur; vomat: atque hac diæta quatriduum utatur.

Decimo quarto, ad vigeſimum: reliquum cibi, quod ablatum fuerat, reſtituatur: iterum vomat; ac pluribus laboribus, & exercitiis utatur.

Secunda.

Signa: vomitus, dolore tamen ventris nullo: decoloratur: ſuffocatur: & invaleſcit malum donec evomuerit; atque huic repletionis generi maximè denſi corporibus obnoxii ſunt.

Cura: cibis utatur acribus, ac ſiccis, auſteris, & odoratis: & per urinam ducentibus: atque prandio penitus abſtineat: & exercitatio adhibeatur multa: tam ſuperiores, quàm inferiores partes exercens: & ſiccans.

Deambulatio eſto multa ab exercitio, pomeridiana item a cœna, & matutina. vocis exercitatio jejuna.

Decem primis diebus tertia cibi pars ſubtrahatur: & quatuor tantùm partes dentur: & duæ auferantur. A decimo, ad decimum ſextum, addatur dimidium ſubtracti cibi, una ſexta, ut quinque partes conſueti prius cibi ſumat. ac die decimo ſexto, vomat; a 16. poſt vomitum, uſque

que ad vigesimum, quatuor tantùm partes adhibeantur. Die tandem vigesimo (qui decimus est a vomitu) redeat ad consuetam vivendi rationem; exercitiis tamen multis, & pluribus quàm pro ciborum ratione. Hactenus de repletione temperata: sequitur intemperata.

Hìc qualitatis pariter alteratione opus est, cum quantitatis diminutione.

Intemperata est duplex: frigida; vel calida, frigidę signa: egestio alvi cruda: Cura: acria salsa.

Frigida est duplex: simplex: composita. Frigidę simplicis signa: ructus die sequente a sumpto cibo apparēt: Parcior est egestio, quàm pro ingestorum copia: venter doloris expers tamen. Cura: panis syncomistus. fermētatus, intritus in vino nigro, aut jure carnis suillę, pisces cocti in acri muria: carnes suillæ bene coctę, porcellorum, catulorum, hędorū parcius. Ficus. cum cibis reliquis, & vini meraci ab ipsis potio, olera acria, vel reliqua correta minus acria.

Somni longi diebus primis, ante exercitia gymnastica: ante meridiem, & prandio abstineant, & post meridiem ubi se gymnastica exercuerint ante cœnam indormiant.

Exercitationes autem sive cursus reflexus, sensim increscens.

Lucta uncta: mollis, unctio multa. Deambulatio matutina multa, ante cœnam pauca.

Hæc de simplici, sequuntur composita, frigida, humida.

Signa: Corpus attenuatur tandem, dejectio frigida, humida, liquidaque: nec venter dolens.

Cura: Alimenti pars tertia auferatur, id est, quatuor partes edat, duas omittat. Prandio abstineat prorsus. panis ex tota farina, clybano coctus, calidus in vino astringente, & meraco, tinctus. Pisces elixentur cum muria: assentur cum aceto; & ex horum partibus; dorsum, & cauda, sunt aptissima. Carnes omnes condiantur sale, vel aceto: ex quadrupedibus: canina assa, ex volatilibus: palumbes, & similes, tam assæ quàm elixæ: Vinum nigrũ, astringens. Exercitationes: deambulationes matutinæ, & vespertinæ, & utrisque super dormiat. Cursus sint curvi, sẽsim angescẽtes. frictio, & unctio multa.

Frigida sicca.

Primis decem diebus cibi pars quarta auferatur; reliquis diebus, sensim ad consuetum reducatur. Panis purus, furnarius, obsonia dulcia, pisces cocti cum intritis, carnes suillę coctę, extremitates bene coctę: pleraq; assa, uvæ, & ficus copiosi, cum reliquis cibis; vinum mustũ, expers austeritatis. Prandeat parcè: Exercitijs uratur frequentibus; sint autem cursus curvi, sensim arescentes, ad extremum item circulares; post cursum, lucta cum oleo matutina. Deambulatio copiosa, post exercitia non multa, a cœna, tantùm exurgat. ab exercitiis, balnea calida

calida ſomnus multus, ſtragulis mollibus; veneri his interdum indulgendum.

Hæc de frigida intemperata: ſequitur intemperata Calida.

Hîc frigefaciendum, pariter ac vacuandum. Calida eſt vel calida, humida; vel calida, ſicca.

Calidę humidę ſigna: alvus excernit liquida, & concocta ſine dolore: ſi convenientibus exercitiis utātur; ſin verò his abſtineant; dolor, labor, & cibi faſtidium. Dięta frigida humida ſit.

Primis de cem diebus, exercitiorum dimidium auferatur: & alimentorū dematur pars tertia; maza utatur non recenti vino dulci emollita, piſces eſto ficciſſimi; cocti abſque oleo, & ſale. Carneſque volucrum aſſæ: perdicis, & galli, abſque condimento; leporina. eſto reliquarum ferarum in aqua cocta: olera refrigerantia; beta cocta cum aceto, potus, ac vinum nigrum, auſterum. Exercitia: curſus circulares, concitati. frictio pauca, lucta pauca, achrocheriſmus chironomia, coryconiachia volutatio in pulvere, quatuor hęc moderatè Deambulatio ab excitio moderato, vt reſpondeat laboribus, majore a cœna quàm cibus poſtulat utatur, matutina, quæ corporis habitui conveniat. Balneū tepidum; & poſt ipſum, quies: poſt dies decem, vomere ſtudeat, corpore prius ſequenti ratione præparato.

Alimentorum prius ablatorū dimidia, exercitiorum

tiorum pars tertia: utrobiq; una ſexta ejus qua ſanus uti conſuerat addatur.

Cibi autem ſint ſicci, & auſteri; ac primis ſtatim diebus quibus talibus cibis uti cæperit, vomat. poſt vomitum per dies quatuor, cibo, & exercitio partito, utatur parciore. Vigeſimo die adventante; cibo, ac potui, addatur quod ablatũ fuerat, ſed exercitiis non item. Vini quãtum cùm ſanus eſſet bibere conſueverat: inde vomat, poſt vomitum, cœna contentus ſit, dum convaluerit.

Hæc de repletione calida, humida; ſequitur calida, ſicca.

Signa: dum incipit: fæces alvi ſiccæ, uſtæ, os ſiccum, ac tandem amarum, alvus, & urina ſupprimuntur.

Cura: refrigerandum, & humectandum; cœna, prandióq; utatur. cibi: maza non recens, reſperſa, panis ex tritico trimeſtri, ſucco furfurum fermentatus. potus: vinũ aquoſum ac lene, olera quævis cocta præter acria; piſces leviſſimi, omnis generis cocti, carnes ſuillæ, & earundem extremitates anteriores coctę. hedinę, agninę, vitulinę coctę: fructus humectãtes poſt reliquos cibos; ex leguminibus: ciceres virides, aut aqua macerati. Labores ſint pauci, & quieti, deambulatio mane ab exercitio, balneis utatur. Somnus nocturnus eſto levis; diurnus, à prandio brevis. Primis diebus dimidia pars ex-

exercitiorum dematur, atq; corpore prius cibis dulcibus, pinguibus, salsis, copiosis preparato plurimis diebus: vomat. post vomitũ, sẽsim per dies tres cibus exhibeatur, moderatus: decimo die, exercitia augeantur, & si adhuc signa adfuerint repletionis: vomitum repetat, sin minus, in præscripta victus ratione pergat dum confirmatur.

Hæc de repletione.

Si quibus de causis inedia futura sit, labor omnis tum est vitandus.

Qui fame laborant, refovendi pulegio odorato; & pane recenti naribus admoto, & admota carne suilla assata, aut elixa. & panis vino diluto intinctus offerendus, & ova sorbilia, ac jusculla liquida paulatim, & crebo offerenda. & cibi omnes liquidi, euchymi, & concoctu faciles.

Si quis aquam frigidam vel vinum, aut potum consuetum, a balneo, vel cursu, aut vehementi exercitatione liberalius, & confertim potaverit, huic sanguis protinus mittendus est.

Cui aquam corruptam bibendi necessitas incumbit; huic coquenda est cum feniculo, aut pulegio: vasis figlinis, & sub dio tenenda ac frigefacienda, & tum denuo calefacta sumenda.

In peregrinationibus aut exercitu fossæ faciendæ sunt, ab altissimis locis ad declives per quas ducenda est aqua in totas fossas: terra dulci immissa, & pingui. si aqua nitrosa sit; cibi he-

betantes ſumendi, & pinguiores. Aluminoſum vinum tenue: Craſſum, allium, cepe, & omnia urinam ducentia corrigunt.

Hirudo ſi fortè pota fuerit; (quod exſuctione percipitur) muria abſorpta excutietur, ſi facibus hæreat, lupinorum farina injiciatur; & aqua frigida ore contineatur.

Si qua ſuſpicio veneni cibis admiſti fuerit, vitentur condita omnia, & intenſo ſapore dulcia, falſa, vel acida, vel quovis alio ſapore, inſignia. nec ſitibundi affatim bibere, aut eſurientes voraciter comeſſe convenit: & ſemper ad omnium ſaporem eſt attendendum: & maximè potu frigida aqua præſumenda: vel optimum erit alexi pharmacorum aliquid præſumere. cujuſmodi ſunt caricæ cum juglandium nucleis & ſeminis napi cum vino drachma una. vel rutæ folia cum juglandibus; & præter cætera omnia, audromachi theriaca ex vino.

Vbi verò quis degere cogatur locis venenatis animalculis obnoxiis: Culina apparetur ſub dio, & ſub dio cibi, ac potus, condantur.

Si ſub tecto apparetur: laquiaria diligenter animadvertēda, præcipuè vaſa vinaria, & lactis omnia. Vbi ſuſpicio fuerit ſumpti jam veneni: ſine mora calidū oleū ex aqua, aut ſeorſim ſumatur, & vomere conetur: vel olei loco butyrū ſumat ex aqua calida cum malva, ſemine lini, urticę, feni-

fenigræci &c. Cúmque vomitus diligenter ciratus fuerit; ne quid reſtet in ventre, inteſtinis hærentes reliquiæ clyſtere acri devocentur: juvat & nitrum tritum ſumere cum hydromelite & vina vetera liberalius pota, ſic juſcula gallinacea, pingues piſces, & carnes vetuſtæ, & pingues, adipe, aut butyro, recenti paratæ. Quinetiam dentur abrotonum, eryngii radix, ſemen paſtinaciæ, ſuccus marrubii, betonica, & cætera quæ communi dote adverſus venena proſunt: drachmę pondere, ex vino.

Ex cibis corruptis, vel alia ratione qualibet, in cacochymiam ſi quis inciderit: atque humor craſſus, ac lentus ſit: incidendus, ac tergendus, & corpus totum laxandum, ac faciendum fluidum. & niſi coqui poſſit humor purgandus. Coquetur autem quod coctioni paret, quiete pro cruditatis ratione, ac ſomno: & cibis, potionibuſque, moderati nutrimenti: & qualitatibus moderatis. ut: ptiſanæ cremore, atque ipſa ptiſana: mulſa, oxymelite: apomelite: Zinzibere, pipere, & ſimilibus cibis inſperſis. Ex carnibus: aves montoſæ. Ex piſcibus: ſaxatiles. Ex oleribus lactuca. Panis clybano coctus, fermentatus, modicè purus. Potio: oxymeli, mulſa, vinum tenue, & album. Deinde (cruditate ablata) ſenſim ad conſueta redeundum.

Sin autem humor coctioni ineptus ſit, præ-

paratus

paratus (ſi opus eſt) prius, purgandus. Bilis, cholagogo: ut rhabarbaro, thamarindis, roſarum pallidarum ſucco, &c.

Pituita, agarico, turpetho, colocynthide &c. Melancholia: fumaria, ſena, helleboro nigro: ſecundum cacochymici vires, & cacochymiæ menſuram: & diæta tota in contrarium mutanda, dum cacochymia prorſus ceſſaverit: omnia per quietem, ac ocium.

FINIS.